CASP. BARTHI.

# ZODIACUS VITÆ CHRISTIANÆ.

## SATYRICON,

*PLERAQVE OMNIA VERAE SAPIENTIAE MYSTERIA SINGVLARI SVAVItate enarrans.*

*FRANCOFVRTI.*

Typis Wechelianis, Sumptibus Danielis ac Davidis Aubriorum, & Clementis Schleichij.

*ANNO M. DC. XXIII.*

# CHRISTIANITATI.
## CASP. BARTHIUS.

QUæ in Satyrico hoc meo ſcripſi, ita eſſe itaq; à Chriſtiani gregis ovicula credi debere ex animo & verè ſentio. Si quis aliter credendum, aliter docendum perſuaſus eſt, conſideret quæſo quid ſentiat; nos ſi aliter debere exiſtimat, argumentis ſententiam ſuam proponat, ſi docendo nos alio ducere poterit, Veritatem exactius inquirere non negamus. Noſtra hæc eſt Fides in eâ vivere & mori, niſi aliter perſuaſi, decrevimus. Habe hoc tibi monumentum in te Amoris noſtri perpetuum, Chriſti Eccleſia, & ſi quid inibi eſt quod te juvat aut delectat, precibus me pro parte quiſque ſua juvare ne neglias. A. d. IIX. Januar.

CIↃ. IↃ. CXXIII.

)?(

ZODIA-

C. BARTHI

# ZODIACI VITÆ CHRISTIANÆ.

## LIBER I.

### QUI ET ARIES.

ORSUS ab immenso formas deducere mundo,
*Unde hominum curas, mersas mortalibus umbris,*
*Obrutaque expediam diuturnô pectora somnô,*
*Assimilans superis humana, æterna caducis:*
*Te precor, Imperio cuius famulantia signa*
*Præsunt æthereo mortalibus ordine fatis.*
*Tu nutu ingenteis cœlis mirantibus, orbeis*
*Dividis in species; ut certò nomine fixæ*
*Discernant cursus stellæ, & fulgentia flectant*
*Lumina, quà Rector divino iusseris ore.*
*Omnipotens genitor, tua sacra altaria propter*
*Deponit studium vates, quô credita quondam*
*Innumeris libris vigilaci indagine voluit,*
*Scita vetustorum, multis ignota, Sophorum*
*Nil mortale sonans, opibusque avoque decorus,*
*Cæsarie iuvenis nitidâ & florentibus armis,*
*Non ignobilium stirps intemerata parentum.*

*Da pater immundas rerum contemnere sordes.*
*Assuetare Deos, ut si [illegible] plurima gressus*
*Damni[illegible]es figat non emendabilis extra;*
*Cum paucis tua puri[illegible]cis altaria palmis*
*Accen[illegible] gratoque attingam carmine vittas.*
*Fors [illegible] animô tantarum examina rerum*
*Aggrediar primâ malas pingente iuventâ,*
*Te tamen, Omnipotens, accepto munere dudum*
*Deveneror. Puerile olim tua maxima fa[illegible]a*
*Con[illegible]abit ebur; terrisque exorsa, caducos*
*C[illegible] choros radiantibus inferet astris.*
*Da [illegible] in numeros, ut de te spiritus in te,*
*Errantes hominum curas, tibi sistat Olympo.*
*At procul exsangues somnus sacer attigit artus,*
*Immensumque sacro numen descendit in ausus.*
*Qualis in [illegible] mysteria vates*
*Erit, & ignaris ora [illegible] cognita linguis*
SPIRITUS *explicuit [illegible]lis discenda futuris*
*Dicta ciens, sacra [illegible] olvens plur[illegible] nube;*
*Talis adest, adsitque precor. Præsen[illegible]ates*
*Tempora nec dubiis nectens ambagi[illegible] oras,*
*Dicta obsc[illegible]ra cano: Puerili[illegible] sensus*
*Quisq; rudes numeros, facilisq; emblemata Cantus*
*Narrabit memorans, & se cognoscet in illis.*

*Quam circum immerso terras incingere molem*
*Contemplare si[illegible] ingentia mundi,*
*Qu[illegible] principium & finem glomerabilis ultro*
*S[illegible]ducit numeris, & [illegible]sibus invidet ordo.*
*I[illegible]n non certo Casus rationis adulter*
*N[illegible] At[illegible] finxere leves, nec secula canis*
*Aeternum ignorant vol[illegible]entia curribus ævum;*
*Non adeo innumeris comitata sororibus ingens*

Dat For-

*Det Fortuna Chaos; nec inerti ambage Volvens*
*Instabileis equites eadem dissolvet agendo:*
*Non hanc ignotæ Species temeraria mentis*
*Alligat, & certo tandem, mala, deseret ævo.*
*Qualia falsidici scivere Oracula vates,*
*Graiorum dociles succedere regna Sophorum.*
*Vnde incerta animi, sapientia, lenta pependit*
*Impos doctrinæ, & veræ rationis egena,*
*Huc illuc diducta, & nusquam credita normæ,*
*Sed Deus, Aeternum numen, sine fine, sine ævo*
*Absq; loco, & numeris (Nisi quod sic trinus in uno,*
*Vnus ut in trino est, sine nomine, temporis exlex,*
*Cuncta in se, sine se rerum nullius egena;*
*Omnia, maiestas, in se complexa; modoque*
*Principioque carens; quia quod fuit atque futurum est,*
*Sola explet, nec voce potens nec sensibus ullis*
*Comprendi, cum cuncta queat; nisi numine solo,*
*Per quod subiectos rerum dominator in ortus,*
*Et certum fixos fineis designat in orbem,)*
*Consilium ex sese capiens, secumque volutans*
*Omnipotentem animum; cum nil foret omnia, contrà*
*Omne nihil, Nihilo ex ipso pulcerrima condit*
*Mœnia; quæ exacto sibi respondentibus motu*
*Perpetua voluit testari ambagine mundum.*
*Illum instar magni voluentem signa theatri,*
*Luminibus claris oculos accendere iussit;*
*Qui supero affixi dominentur in infera regno,*
*Plantasque stirpesque regant; dein sidera Luci*
*Lux æterna dedit, magnis Sol cursibus annum*
*Præcipitat claroque dies discriminet ortu.*
*Luna obiens noctem gyro breviore tenebris*
*Exsuat, & genitrix florentia sidera ducat,*

*Mox adeò gravis in molem concedere tellusò*
*Præcipitur, medio pendet globus aere; nec vi*
*Mergitur ipse suâ, quia quò concedere possit*
*Nil superest, Vaga pendentem cinxere volucri*
*Aequora circuitu; Sparsosque humoribus amneis*
*Arida iusserunt liquido pede abire per arva:*
*Aethereæ fomes flammæ super invia cessit*
*Aëris, & propius cœlestem evectus ad aulam est.*
*At tenuis circum volitat, seque omnibus aer*
*Indulget Spaciis, inter terramque polumque.*
*Omnia quæ magnus retinens complexibus axis*
*Stellato incumbit gremio procul, altaque monstrat*
*Sidera flammanti speculatus lumine mundum.*
*Quattuor hunc voluit maiestas dia catenis*
*Devinctam inter se socialia iungere in orbem*
*Fœdera, ne quicquam sine principe possit oriri*
*Coniugio; hinc generi mortali Elementa vocantur.*
*Ipsa autem superi cœlestia corpora regni*
*Harmoniam agnoscant matrem, seque omnia lætis*
*Invicem ament studiis, carum testata parentem.*
*At miseri, cæca palanteis nocte, Sophorum*
*Mentiti nomen, quid in instrumenta tonantem*
*Cogitis, atque operas in tantis quæritis actis?*
*Vox DOMINI factum est. Immensi Spiritus oris*
*Quod iubet, effecit; nondum labor, altaque cura,*
*Sollicitique fuere metus, cum regia mundi*
*Templa dedit pater omnipotens. Ante omnia Solus*
*Qui fuit, extra ævum, & sine tempore, temporis auctor,*
*Principiumque ævi, Lex ipse sibi, omnia in omni.*
*Vltra quem nihil est, citra quem cuncta, quod in se*
*Maiestas voluit iussitque æterna, peractum est.*
*Vnde adeo certis immensos legibus orbeis*

*Astrin-*

*Astrinxit; cum decursos rota mobilis annos*
*Exierit, flamma aeterno renovabilis ore*
*Proruet in flamen, mundumque amplexa senilem*
*Consumet radiis, nihil ut de corpore tanto*
*Restiterit, nisi turba hominum; quae carcere dudum*
*Clausa sepulcrali servatur iudicis Vrnae.*
*Talis condicio superis affixa, creata*
*Vt primum, templis, fato complectitur uno*
*Quicquid ubique vident. Iam fixo mobilis axe*
*Constiterat moles, iam terra undaeque vigebant,*
*Iussa sinu tellus foecundo educere prolem*
*Florentem; iam purpureis avis aëra pennis*
*Tranabat placidum; iam fetae piscibus undae*
*Exsultant; vocem obsequio testata monarchae:*
*Iamque adeo variis modo nata animalia terram*
*Moribus insiliunt. Vidit pater optimus alta*
*Singula, & in sese diû gavisus amore*
*Omnia quam certis florerent credita metis,*
*Rideretque novum divina ad iussa theatrum;*
*Mox animum Omnipotentem in se probat; armaque laudis*
*Concipit alta suae. Deêrat qui carmine digno*
*Tantorum factorem operum celebraret; & omneis*
*Imperium in genteis animantum rector haberet.*
*Iam dum etenim sibi caelestem pater optimus aulam*
*Militiâ ornarat supera, iam candidus ordo*
*Alituum niveorum ingenti carmina plausu*
*Dictabat memorans; seque hinc atque inde levabat,*
*Caelesteis speculans radios. Sed in infera regna*
*Rex animo aeternus, terrestri corpore, deêrat;*
*Consilium instituit secum pater; Vnus in uno*
*Trinus in uno idem. Non tres, sed Trinus in Vno;*
*Ergo, hominem faciamus, ait. Natura loquentem*

Devenerans, plauditque animo [illegible]
Aeternorum operum spe iam sibi p[illegible]
Regem adeo exspectans animantum, [illegible]
Didere, & aethereis gnarum se creare [illegible].
Intereà pater omnipotens tellur[illegible] ab ossa
Fecerat effigiem, quae si vegetabilis esset
Esset homo; rationis inops sed Spiritus ore
Procedens domini, mentem ratione potentem
Et vegetantem animam massae inspiravit ab alto.
Ergo potens rationis homo est: Qui sidera primo
Intuitus vultu, dominum celebravit in illis,
Candidus, & diae sibi conscius indolis; ex quo
Dixerat Omnipotens. Hominem faciamus; imago
Qui sit clara mei. Minor est faciente creatus,
Ad domini effigiem; reliquis sed maior, ob illud
Singula quod proprias servent animalia formas,
Totus homo solusque operum factoris imago est.
Illum adeo quaqua versum vestigia movit
Agnoscunt regem, blandoque animantia vultu
Arrident sceptris, in eo venerata tonantem:
Floribus alludit tellus, spirabilis aer
Cinnameo casiae gradientem mulcet odore.
Sponte suâ circum volucrum genus omne sonoris
Insultat modulis, & lux nova vestit euntem.
Nec non Spirituum Choreae, sata corpora coelo,
Purpurei iuvenes numerum plaudentibus alis
Instituunt, sociumque aeterna in carmina poscunt.
Quos inter nigrâ iamdudum bile tumescit
Lucifer, invidiam terrena in membra fatigans.
Par superis iuvenis, nequicquam in gloria curat
Terrenorum operum, mentem vigil exserit astris,
Spectator domini, solius imagine gaudens

Quippe

*Quippe Dei; puroque exercens numine mentem*
*Iamque acie immensam gratâ spaciatus in æthram*
*Astitit autori. Non illum densa morantur*
*Nubila, nec spaciis impervia distinet ora,*
*Intactus vitiis, veluti purissimus ignis,*
*Aerios penetrat tractus, quaque optat, abivit.*
*Non tali volucris tranaverit impete cœlum,*
*Nec leve sollicitæ mentis discurrit acumen,*
*Vidit eum omnipotens, teneráque in imagine l[illegible]*
*Huc illuc versans animos, cum cætera quæque*
*Apta jugo, generique animalia fœdera norint,*
*Solus homo secum fœcundos digerat annos?*
*Dixit. Eum placidâ devictum nube soporis*
*A domino somnus molleis clinavit in herbas.*
*Ilicet è medio juvenis costam abripit auctor*
*Carne superducens spacium, dein erigit ipsam*
*Fœmina erat, dio planè jam digna marito,*
*Nil pietate minor, nil nobilitate; nec almi*
*Effigie Domini, nisi quod de dispare sexu est:*
*Illam ut divini discussa nube soporis*
*Vidit homo, amplexu coram testatus amico*
*Agnoscit sociam, rapuitque in fœdera, jactans*
*Esse suo ductam de corpore: Fœmina fassa est;*
*Concessitque viro. Par sic concrevit in unum,*
*Factaque de geminis anima una in corpore bino est.*
*At tibi qui fictâ veneratus imagine divos,*
*Conjugium vetitis accenses nobile factis,*
*Fax scelerum ultriceis intentet stridula flammas,*
*Tisiphoneque comas atris incincta chelydris*
*Exigat infandas æterno in carcere pœnas.*
*Quod Domino sancita immani vincula dextrâ*
*Rumpere, & æthereas ausis rescindere leges*

 Obtru-

*Obtrudens surdos Canonas, queis prorsus voluit*
*Iura palam, Regumque tua castis vellere mentis.*
*Vnde excæcati, solam te, barbare Machmet,*
*Nempe colant, positoque avitum diademate adorent.*
*Non aliter Philisæum acies quam cæde cruenta*
*Depopulans, vili thalamo meretricis, inhæsit.*
*Vnde diem vireisque simul, vitamque comamque,*
*Perdidit, extremâ Samson tamen ultor in hora.*
*Hortus erat Domini, magnæ in convallibus Edæ*
*Hactenus ignotus, formaque, locique, situsque.*
*Quem pater ipse suis manibus plantarat; ab alto*
*Divinam Ambrosiam invergens, & nectaris imbreis,*
*Et casiam æternam & non mortalem Panacæam;*
*Arbor in hoc vitæ, quam qui semel aptus edendo,*
*Floreret longo superis æquabilis ævo.*
*Altera erat, mortemque ferens, tristeisque dolores*
*Infandasque lues, & quotquot tartara, fædam*
*Subter humum, obscæno morborum secula volvunt*
*Cocyti in gremio; & miseris mortalibus addunt,*
*Cum Domini ultriceis vibravit dextera pœnas.*
*Hanc pater omnipotens, non ut vescentibus esset*
*Dedecori, damnoque, sacro plantarat in horto;*
*Sed super ut castis electio moribus esset,*
*Neu genus humanum coleret pietate coactâ.*
*Numen, ubi penitus cupiens, peccare nequiret.*
*Huc hominem geminum, limo sata corpora nuper,*
*Divinam effigiem, cœlesti mente gerenteis,*
*Inducit; monstratque loci cultumque situmque,*
*Floribus æternis & non marcentibus auctum*
*Fructibus, & multum commendans singula; lætâ*
*Mente colant jubet, ætherei violaria prati.*
*Vescantur quin arboreis quoque fœtibus, & se*

Mente

*Mente canant gratâ, degantque in floribus ævum.*
*Vnam adeò è cunctis stirpem ne tangite, dixit,*
*Mortiferam stirpem, de quâ qui vescier audax,*
*Lethum adeo infandum generi malus oppetet auctor.*
*Incedunt læti per culta virentia, dios*
*Mirati floreis, & ramos fructibus auctos,*
*Et memori gratos meditantur pectore cantus:*
*Intereà invidiâ gliscebat Lucifer horrens*
*Et medio in cœlô, Divum in concentibus ipsis,*
*Se Domino æquabat, necquicquam insignis honore,*
*Ausus in humanos inimica, bilinguibus orsis,*
*Spargere dicta choros; ut gens modo condita limo*
*Aethereos olim secum subitura decoreis;*
*Quam se; sed meritam Domino ipsi impingere bilem:*
*Risit eum omnipotens, & sublimem æthere celso*
*In præceps dedit; ille cadens loca sulphure diro*
*Fata subit, circum infandis exercitus ausis*
*Bella parans Domino, cum rege in tartara præpes*
*Deruitur: modo purpureis prænobilis alis,*
*Sidereæ princeps turmæ, nunc impius ales,*
*Prodigium infœlix vetereis suspirat honoreis.*
*Prisca manent odia in superos, ipsumque* IEHOVAM,
*Quis adeo interitu mergat, si copia detur,*
*Atque ipseætherio cingat diademate frontem.*
*Sed cum immensa inopem cogat desistere virtus,*
*Exercet fraudem in mortalia secula, nec vi*
*Nec studio a supera cessat deflectere vita*
*Limigenas homines; quod ni pater obstet ab alto*
*Præcipites una secum ferat ille ruina*
*Tartara, donec ad ima sonantemque igne paludem*
*In sua jura trahat miseros, sine fine colenda.*
*Quamprimum ætherias liquit non sponte decoreis*

*Manca*

*Mancipium æternæ noctis, huc omnia flectit*
*Sensa furens, quibus Edenum mortalibus hortum*
*Excuteret, regnisque suis transcriberet ipsos,*
*Artibus. Huc animos omneis, huc perfida versat*
*Vota potens, inhiatque avidô trux cædibus ore.*
*Ecce sinu blandæ paullum vir conjugis ultrà*
*Exierat, spaciisque errat declivibus horto,*
*Admiratus opes, semperque recentia dona;*
*Illa alioversum lento vestigia duxit*
*Tramite, nec saties spectandi cepit utrumque.*
*Mitia quin etiam deducunt arbore poma,*
*Vescunturque, canuntque auctorem carmine latô.*
*Lucifer interea teretem collectus in anguem*
*Inducit tergo squamas, & florida membra*
*Splendenti superat, hinc atque hinc prodigus auro.*
*Dein vetitæ sese ramos super arboris infert,*
*Exspectatque hominem: viridi grassatur in horto,*
*Fœmina, & incerto perdit vestigia gressu.*
*Donec ad infaustam stirpem ferus abstulit error.*
*Constitit aspectu, mirataque tristitia poma,*
*Flectit iter; jam jamque aberat, feralis ab altâ*
*Arbore cum serpens blandissima murmura misit:*
*Fœmina par superis, si vis modo; siste pedem, atque*
*Cœlesteis mirare dapes; quin vescere fructu*
*Arboris æternæ; quem cum gustabis, habebis*
*Diis similem formam, formâ par sensus in illâ est.*
*Horruit auditis infelicissima dictis:*
*At Deus hos fructus, hâc ipsâ ex arbore poma*
*Tangere nos vetuit. Rumpit media orsa loquentis*
*Dimidium victor serpens: Eia, inquit, & audes*
*Invidiam celare Dei. Cum nosset in istis*
*Cœlestem pomis sese abscondisse vitelam,*

Ultro hominem vetuit sacros decerpere fœtus,
Ne similis divum sibi participaret honorem.
Noluit auditis virgo se credere dictis;
Blandum murmur erat, pomi color aureus; & qui
Quo magis aspiceres, magis hoc pia corda moveret.
Instat atrox serpens, & suavi ambagine multa
Commemorans, miseram immemoremque in crimina raptat.
Audet ad extremum, positoque insana timore
Candidulâ carpit pomum ærumnabile dextra
Admovet hoc labris, & vescitur. heic mihi ab uno
Quanta seges malo terris prognata malorum est!
Tune adeo, infelix, uno tot secula morsu
Proruis, & miseris ignara nepotibus Orcum
Aedificas? superisque facis tot millia regnis
Excidere? ah genetrix infortunata tuorum,
Dum licet, & fas est genetrix miserescè nepotum.
Verum ea jamdudum ferale in viscera malum
Condiderat; nec adhuc sat gnara quid ausa fuisset;
Ecce procul læto venientem pectore cernit
Magnanimum virgo sponsum: volat obvia mortis
Triste gerens donum, miseri unique hoc munerat ultro.
Ille [illegible] agnovit, & immedicabile pomum
Con[illegible] e manibus rapiens, sacra dicta parabat.
[illegible] contra, anticipatque hærentia verba,
[illegible] ait, neu te sanctum magis assere nobis;
[illegible] & arguti blandissima dicta colubri.
Persuadetque virum: proh quanta licentia culpæ!
Consentit morti ipse suæ, seque obruit illa!
Vix adeo tristem ventri mandaverat escam,
[illegible] subito mutari orbem, strepere omnia circum
[illegible] andis videt in tenebris; nox stridula mortem
[illegible] ludit. Qui celsa animo penetraverat astra,

Ipse

*Ipse sibi timor est: nudos sublimis in artus*
*Corruit, obscœnoque sui palare pudore*
*Incipit; & mira nuper splendentia luce*
*Membra operit; juxta infortunatissima conjux*
*Tantorum causam vestigat cæca malorum,*
*Serpentem insidum, quem dum se sperat apisci*
*Obscœnam contra mortis videt undique larvam.*
*Intentare oculos, & frangere corda timore.*
*Quin niger anguineo exuto jam corpore dæmon*
*Exprobrat studium divini sponte decoris;*
*Insultatque, & amara ciet variabilis orsa.*
*Senserat omnipotens, (& quid non sentiat ille,*
*Omnia qui novit, coram, facta atque futura?)*
*Deceptos homines, carptumque ex arbore malum,*
*Unde mali miseris nova mox prodiret origo:*
*Ergo horto in medio palantibus astitit ultro,*
*Increpuitque virum: vir, quam mihi, fœmina, junxti*
*Decepit miserum, reddit miserabile murmur:*
*Hunc sacrum irascens in virgine sistit honorem:*
*Tune ait, infelix, & tempore, mortis, ab illo*
*Usque adeo adversare meis improvida jussis*
*Ut malum vetita lethale ex arbore carpas?*
*Horruit audito mulier, quo gaudia nuper*
*Ceperat, & culpam sævum transcripsit in anguem.*
*Hunc pater exsortem vocis, cum corpore pulcro*
*Antideà nituisset, inerti circite jussit*
*Radere humum, tumidoque fera imbuit ora veneno:*
*Quin etiam hostileis animos inseuit acerbans*
*Oderit ille hominem, nec homo placabilis illi est.*
*At miseri pro luce sua, pro lumine dio*
*Quod virgo in suavi, necquicquam prodita, pomo*
*Quæsierat, noctem æternam tristeisque luelas,*

*Pœna-*

*Pœnarum omne genus mortali in corpore gestant*
*Iamque odiô infandô vindex suasorque malorum*
*Alpabat geminans aliô peccata reatu·*
*Iustitia in meritum miseros hinc inde vocabat*
*Supplicium; circum infandis stridoribus angues*
*Assiliunt Stygii,& letum illatabile jactant,*
*Nec quo inopes possent solari carmine sensus*
*Ab medii norant inter delicta necemque.*
*Stricta Dei procul ut meritos gravis ira perenni*
*Terrebat flamma & justos poscebat honoreis,*
*Vindicias clamans, & fœda piacula monstrat.*
*Nec prodesse illis in tali tempore quibat,*
*Principium humano generi quod factus uterque*
*Conficere; & longis intexere secula natis.*
*Sed gravis ab nondum gnaros quoque culpa Nepotem*
*Induerat,diamque nocens fuscarat in illis*
*Effigiem; At Domini mentem Clementia dudum*
*Flexerat in miseros.Pœnis contenta caducis*
*Iusticia,æternis absolvit cætera flammis,*
*Cujus ut intemerata fides servaret honorem*
*Promissi, lapsis,nec secula longa, voraxque*
*Infirmis animi rata fœdera adederet ævum.*
*Præfixit stirpem, quæ, virgine nata, superbum*
*Calcibus impositis anguem domitura veniret.*
*Divinam stirpem,quam cum sua frangere regna*
*Sentiet infandus serpens, pede dentis in imo*
*Infiget morsum,& calcanea vulnere lædet.*
*Hanc animo amplexi, post infelicia mentem*
*Ausa levant rursum,& morituri excedere pratô*
*Coguntur,Domini. Gladio quod fulgidus ales*
*Custodit,nullis posthac viventibus aptum.*
*Palanteis terra in magna circum ardua lustrant.*

Immi-

*Luminibus aliis loca quam divina reliquit*
*Lux oculos, ſcintilla manet de flore vetuſto.*
*Gaudenteis quondam vultus ad ſidera celſi,*
*Vix reminiſcuntur divum luminis ortum.*
*Durus ubique labor, multis ſudoribus, impos*
*Induerat vitam. Super omnia cæca furensque*
*Affectus armat terreno cura dolore.*
*Stirps auguſta poli, propter quam numine læto*
*Deſcendit quondam omnipotens, terramque jacentem*
*Sidereis opibus fœtam replevit an ortus;*
*Pœna ſit; & mortem totum diſpergit in orbem,*
*Sponte ſatis nuper veſtiti frugibus agri*
*Demittuntque comas, & duris horrida ſaxis*
*Obducunt capita. Aereo ſuaviſſima cantu*
*Conſceleratum hominem, ceu gnara per hujus obire*
*Informeis auſus, volucris fugit æthere toto.*
*Quodque animans magis ut generoſum & corpore forti eſt*
*Conjurat mortem, nec tutum occurrere terret.*
*Ipſe impos contra nudos opponere flictus,*
*Auxilium implorat rerum, & mala diſcit ab uſu.*
*Tabifico viru laxant turgentia floreis*
*Gramina; quod pulcrum eſt multis extundat oportet*
*Artibus in lucem, & diuturno exploret abuſu,*
*Sponte mali venit ampla ſeges; nec opina figuris*
*Mors ſalit innumeris, & ubique applaudit euntes.*
*Ah miſer & nulli miſerabilis: omnia frontem*
*Opponunt elementa, & vitam arrodere certant.*
*Frigoribus gravis horriferis circum imminet aer,*
*Stant rigidæ terrentque comæ, pallentibus auris*
*Mordetur ſanguis, paullatimque ora relinquit,*
*Triſtis ad extremum pectus rigor occupat, & ſe*
*Informem in ſomnum pronis indulget habenis.*

*Flamma,*

*Flamma, polo ſata, degeneris bacchatur in ortus,*
*Lethalique nocet, jam non revocanda, calore.*
*Et cinerem magno parvum de corpore terræ*
*Invidet auctrici, varios terra impia in angueis*
*Peſtiferosque fremit flatus, herbasque nocenteis.*
*Quarum adeo infandas ſoboleis interprete tactu*
*Accerſunt mortem, & cacæ vitalia rumpunt.*
*Adſunt terribileis formæ, pars mobilis alis*
*Pars per humum repens, pars apta utrinque nocere.*
*Singula ſida gerens humanæ ſpicula morti,*
*Militia abſconſæ noctis, exercitus horrens*
*Peſtiferos lethi in proceres. Quibus omnibus idem*
*Hoſtis homo, vitam miſerandi in morte relinquant.*
*Quod ſi adeo hoſtileis poſſet dignoſcere geſtus*
*Perduelleisque animos, nec opina cadavere mutat*
*Hora virum ingentem; & victorem agnoſcere cælat.*
*Flumina ſi incauto ſubeat currentia greſſu*
*Perdit aquis ultro veſtigia, mergitur ipſe*
*Ponderibus propriis, viſâ à tellure revulſus.*
*Aequora quæ jungant peregrinas navibus oras*
*Mortiferis turgent immani piſtribus alvo,*
*Mille aliis monſtris, quorum tot ſecula nondum*
*Edidicere notas; nec tot per ſecula diſcent:*
*Omnia docta homini ceu ſint debere cruentas*
*In vita pœnas, vitam populare merentis*
*Conjurant ſtudio, & naturam hic artibus augent.*
*Quamprimum ſobole ingentem repleverit orbem*
*Ipſe ſuas gremio pariet ſibi denique pœnas*
*Diſcordeis animi fratres. Duo corpora mundi*
*Non capient ſpacia. aſſurgit moriturus in illum*
*Alter, & incautum Patrias obtruncat ad aras.*
*Hinc ſata mortalem regnant ingloria vitam*

*Discordia, infelix scissâ discordia pallâ*
*Imperium exercet bellis, & fœdera calcat.*
*Hinc aciem impendunt morti, celerantque morantem*
*Præcipiti Parcas odio, ingeniumque fatigant*
*Vt feritas paullatim hominem superare nocendo*
*Perspiciens, tineat, mittatque in vulnera cæcos*
*Mutua: desistunt sensim atque hostilia ponunt,*
*Arma, super scelus est; in civica prælia fervent*
*Cumque rudi melius vivant animalia victu,*
*Propter opes pereunt. Nec jam mortalibus audent*
*Rite frui, ferus in sensus dominatur habendi*
*Ardor; & excludit curis volitantibus usum.*
*Talia mille ipsis matrum e nutricibus apta*
*Tradiderunt seclis venientum prima nepotum.*
*Ingenium sollers acuit fortuna premendo,*
*Per fas atque nefas ad vitam emisa fluentem*
*Infortunatis opibus; cœcoque tumultu*
*Suppositam adfectus miseri; quem luxus & irâ*
*Sensibus enervant, cœcamque in nocte relinquunt.*
*Paullatim quicquid de luce superfuit almâ*
*Delicuit curis vita mortalibus in se.*
*Pars manet exigua in promissam firma salutem,*
*Exspectatque Deum. Mundum gens sparsa per omnem*
*Quæque suis manibus sibimet simulacra figurans,*
*Stipite gemmato, picturatâque columnâ,*
*Vendidit æternam lucem; dum forte caducâ*
*Floreret paullum, & visis sperata reliquit.*
*At pater omnipotens numquam sine numine terram*
*Despexit miseram. Parvo sibi in agmine semper*
*Servavit studium vitæ. Clementia certis*
*Visa notis, patribus crebro velut ore locuta est,*
*Ne penitus grege mortali depulsa rediret*

*In cœlum virgo Pietas; sævusque triumfis*
*Lucifer instaret, memorans hostilia fata:*
*Elegit Pater è castis oriunda piorum*
*Corda patrum seminibus, quo perpete ducta tenore*
*Principio à summo ad postremum Ecclesia finem*
*Restaret pugnans; olim positura tropæum*
*Altum, æternum, ingens, contra quod Barbara cassis*
*Assiliant ausis Stygiarum examina Fraudum.*
*Sic pater expulsus vitali quamlibet horto*
*Pendebat tamen à Domino, fixamque medullis*
*Ore fidem sancto natorum in secula misit.*
*Non illum fœcunda malis florentibus ætas*
*Turbabat, constantem animi, divina manebat*
*Dicta, nec hac quicquam cedebat laude marito*
*Eva, parens hominum, licet ærumna ille pomum*
*Ipsa prior, serpente malo decepta per astum,*
*Sumserat. Insistunt pietati & tempora ducunt*
*Planctibus assiduis, donec votiva senectus*
*Absoluit miseros, & humo data terra paterna est.*
*Succedunt gradibus per secula longa nepoteis*
*Instaurantque atavæ castum pietatis honorem.*
*Pauci equidem numero vestigia sancta secuti,*
*At pars magna tamen; Domino quia copia non est*
*Ingenti in numero; Sed qui rata jussa fideli*
*Mente colit, solus Domino pars plurima mundi est.*
*Interea firmat fœdus, nec prævius Enoch*
*Iam dubitare sinit venturi regis amorem.*
*Ille equite aligero mediam subvectus in æthram*
*Corpore transcendit nubeis, speculumque futuræ*
*Ingenuum pompæ, Christi simulacra figurat.*
*Stant procul attoniti gaudentque volucria quondam*
*Corpora laturi cœlo, spemque ore salutant*

*Iamque adeo isti etiam, fatis voluentibus, annos*
*Explerant, gremiumque atavæ telluris habebant.*
*Orta ferox soboles nec jura nec astra colebat,*
*In facinus sibi quisque placet, nec numina credunt,*
*Sed sibi quisque facit. Vi, fraude armisque doloque*
*Insultant aliis alii, pereuntque necando.*
*Misit iis pater omnipotens pietatis amantem*
*Divinum vatem, meritis qui crimina pœnis*
*Subtraheret, monitisque homines revocaret amicis,*
*Immaneis contra monstrans instare luelas,*
*Atque omnem immenso periturum marmore mundum,*
*Ni revocent fatus, & pacem supplice gestu*
*Implorent, flectantque retro vestigia casti.*
*Irrident illi Vatem, venturaque poscunt*
*Supplicia, & magnâ geminant feritate furorem.*
*Spretus abit monitor, cæsaque ex arbore crebro*
*Inducit textu silvæ variabilis arcam.*
*Ingenteisque operit thalamos, firmatque carinam*
*Subiiciens, circumque alto loca pariete munit.*
*Vt moles confecta viro est, genera omnia cogit*
*Par de quoque legens, animantum, & singula mandat*
*Ire ratem in magnam; parent animalia jussis*
*Ingenteisque explent studio celerante Cavernas.*
*Tum senior quoque cum natis & conjuge fidâ*
*Succedunt tectis, clauduntque repagula firmis*
*Vectibus, exspectantque immania marmora tuti.*
*Nec mora nimbiferis solvi cælum omne repente*
*Nubibus; excedunt fluvii, stagnantque profundis*
*Aequoris è specubus, donec sociata ruenti*
*Flumina concrescunt cælo. natat omnis in undis*
*Terra novis, perditque capacia littora pontus.*
*Nant trepidi freta sæva homines; jam credere malint*

*Quam*

*Quam spectare Deum: superest fuga nulla, per arva*
*Per silvas, monteisque urbeisque mare abstulit undas.*
*Occiderant miseri, nec jam de animantibus omni*
*E genere, ullum aderat super; ipsæ imbellibus alis*
*Deciderant pelago volucreis: extrema moranteis*
*Tempore perdiderant pinnas, atque aëra longum*
*Obliti patrium, nimbosá in morte jacebant.*
*Non minus intereà super alta cacumina firmis*
*Arca gravis gradibus tuto incedebat honore,*
*Cum pater exorsus natos miracula longum*
*Dia docet, stirpemque novam promittit in orbem.*
*Stirps antiqua jacet, de tot modo millibus uni*
*Terra negat tumulum, quia jam terra ipsa sepulta est.*
*Tempore jam certo steterat mirabile marmor*
*Cum Dominus sacra claustra aperit. Vis omnis aquarum*
*Concedit, quà jussa, retro, & sensim arva reducit.*
*Hæc ubi depulsô sentit pater æquore Noah,*
*Restitui formam in priscam, & dare sidera terræ;*
*Emittit volucrem diá de nave columbam*
*Quæ primùm infidum nondum siccescere pontum*
*Explorans, redit, & trepidans sacra æde recepta est.*
*Post aliam jubet ire, Redit, qua jussa, columba,*
*Terniteum gestans de Palladis arbore ramum.*
*Dum pater exhaustas terris cessisse relictis*
*Sensit aquas, arcamque aperit. Nova secula navi*
*Descendunt, aliumque orbem & mirantur eundem:*
*Ipse polo videt omnipotens miserabile vulgus*
*Relliquias mundi; doluitque æterna caducis*
*Indulsisse odia, & ne umquam, peritura per ignem,*
*Machina sentiret damnum irrevocabile ponti*
*Postideà, sancit fœdus cum principe Noa.*
*Atque arcum excelsum, tanti vadimonia pacti*

 Impri-

Imprimit ætheriis adverso è sole nitentem
Nubibus: Accedit senior, rata fœdera prona
Mente colens, dominique fidem jurantis adorat.
Iam nova florebant purgato secula mundo.
Antiquum tamen in scelus & vix desita porrò
Crimina præcipitant homines: Sodomitica culta
Atque Gomorrhæas flammis cœlestibus urbeis
Exspuit in stygias rerum natura paludeis
Mandato Domini: quia nec quinq; ordine in omni
Millia tanta hominum castos habuere colonos.
Hinc pater omnipotens animo mortalia voluens
Excipere e cunctis populum, quem legibus almis
Imbueret; statuit, cujus de semine Regem
Venturum mundo auxilium, produceret orbi.
Ilicet eligitur Chaldæis patribus Abram,
Vir superum justique tenax, venerabilis inter
Ignotos notosque pari pietatis honore.
Hunc caput eximium genti promissa futuræ
Præstituunt, divina. Fides credentis in illo
Iustitia est: Pater annosam sine prole senectam
Duxerat, & longa promissam ambage trahebat.
Non minus ille manet dictis, certusque vigebat
Desponsæ sobolis genitor, licet arida corpus
Exsuccum procul à genitali lege teneret
Annorum series, atque infœcunda vetaret
Obsita jam conjux ætate, recludere vota;
Stat senior mentemque Deo defixus in uno
Spe generat regis venturi in secula matrem.
Tandem adeo promissa adsunt, utroque senili
Intumuit pignus Sarræ. Genitalia turgent
Viscera trans annos felici fœta marito.
Iamq; ISAAC prognatus erat, stirps aurea, de qua

Spes

*Spes dabat æternum florem, mundique salutem.*
*At pater omnipotens uno se pignore casti*
*Confirmasse senis cernens animumque fidemque.*
*Vltro adigit tentatum hominem inclementibus instans*
*Jußibus, erectam super alta altaria prolem*
*Mactaret ferro, seque hac spe protenus ipse*
*Exsueret: Mandata Dei certißimus, instat*
*Antistes patrare manu: iam vertice prono*
*Exspectat patrios, pallens licet, hostia cultros:*
*Candidus excelso Genius delapsus Olympo*
*Inicit extento fulgentia brachia ferro,*
*Et sublimem ictum cœlesti comprimit ore:*
*Explorata fides Domino tua, dixit, in isto est.*
*Siste manum; dudum est cum victima gratior adstat:*
*Cornibus implicitum lentis herescere ramis*
*Conspicit hic hædum genitor, quem sanguine fuso*
*Imponit meliorem aræ, & placantia numen*
*Vota facit, pueroque domum comitante, revertit:*
*Prolem, I S A A C, geminam genuit volventibus annis:*
*Altera cujus abit, Domino datur altera pignus*
*Stirpis adorandæ, de nomine nota I A C O B I.*
*Tempore in hoc domus una, & vix quoque tota, tenebat*
*Ritè fidem: gens infestis mortale vovebat*
*Sacra diis, gentes quot erant, tot numina habebant,*
*Pars alia inferius Stygios venerata tyrannos*
*Mactabat sobolem, & meritas innoxia flammas*
*Transibat cursu: Pars immortalia censens*
*Sidera, adorabat cœli fulgentia templa,*
*Præcipuè Solis Lunæque ingentia cultu*
*Lumina divino superis præponere jactans.*
*Hinc millie effigies divorum, & singula rebus*
*Numina terrenis, mortali condita cura:*

*Ah miseros quali nocte infandissimus hostis*
*Avertit cælo, & divum sibi fixit honorem!*
*Insultans adeo cæcis, ut proditor ipse*
*Infelix, varias dederit sua dira colendi*
*Facta vias: totam figmento involuit anili*
*Relligionem almam, & promissi à lumine regis*
*Sedaxit, levium obiciens simulacra deorum;*
*Quorum naturæ pars magna intexta latebris*
*Eruitur clare, cum jam lux æthere puro*
*Fulserit, & noctem divino induxerit astro.*
*Semina adhuc tristi de relligione supersunt*
*Exercentque animos; ante omnia conditor ingens*
*Debuerat rerum de majestate notari,*
*Convertunt alii studia, & post condita magnum*
*Auctorem inludunt numeris; & tempora solvunt.*
*Bis senam in sobolem non una conjuge ramus*
*Descendit felix; soboles bissena Iacobi*
*Scinditur in vulgus; Reg. inque exosa IOSEPHUM,*
*Somnia quem Dominum dudum fore dia canebant.*
*Venumdant, sceptrisque aptum florentibus ultro*
*Intrudunt, servosque viro se protinus addunt.*
*Ille Paratonii Regis gravis arbiter aulam*
*Mente gubernabat casta, regnumque tenebat*
*Interpres Domini. Nam quæ ventura manebant*
*Obscuris alii indiciis patefacta per umbras*
*Somniaque incertis animos ludentia visis,*
*Scire viro dederat, ut nulli, dia priorum*
*Majestas. hinc regali sublimis honore*
*Principium à primo late Pharaone tenebat.*
*Cum prævisa fames Chaldæûm increbuit oris*
*Exeditque omneis siccis fervoribus agros,*
*Aegypto excepta, sterilis quæ præscia cæli*

*Ferti-*

*Fertilibus late ſtipaverat horrea culmis,*
*Mandatum expediens juſſu regali Ioſephi,*
*Hic pater, adfectus ſenio, cum prole* IACOBVS
*Sedibus excitur patriis natumque vocantem*
*Vſque Peluſiacas arceis, Memphimque ſecutus,*
*Fixit ibi ſedes. Paucos Hebræa per annos*
*Niliacos habitarat agros, gens, creverat ex ſe*
*Innumerum in numerum; quod ſuccedentib. ingens*
*Regibus invidiæ ſtimulus fera corda premebat;*
*Donec ſervileis ſtirps extera ceſſit in uſus*
*Imperiis arctata trucis ſine lege tyranni.*
*Secula multa ierant. Sed enim pater almus Olympo*
*Progeniem oppreſſam fidi memor eripit Abram:*
*AEgyptum liquêre patres. Pharaone ſecuto*
*Murus aquæ cecidit; ſubito nant æquore Regis*
*Armati proceres, Martemque in marmore perdunt.*
*Vis equitum tumidiſque animis & robore crudo*
*Imbelli perit in fluctu: Sic dextera gentem*
*Aſſerit omnipotens placitam, patriaſque nepotum*
*Virtutes generi ſancta dat mente fruendas.*
*Dux erat his Moyſes, cui ſancta oracula binis*
*Tradidit in tabulis dominus, legemque vocari*
*AEtheriam juſſit, cujus niſi ſingula plebes*
*Servaret capita, & nuſquam peccaret abuſu*
*Addidit æternas poenas, nec mente nec auſu*
*Quiſquam: adeo poterat ſancti ſatis eſſe jubentis*
*Legibus; hinc nova mors ipſo de germine vitæ*
*Salvificis orta eſt humano legibus ævo:*
*Vidit in his perfectus homo quo vivere more,*
*Si vellet meritis amiſſum aſcendere cœlum,*
*Cogeret omnipotens. Illum via terruit ipſa.*
*Excluſitque procul. Quare Clementia regem*

*Venturum auxilio monstrat, quem pectore toto*
*Amplectens divina cohors, vitam imputet olli.*
*Hac vixere fide media sub lege Beati*
*Indigetes: Cum firma Dei promissa vetarent*
*Ambigere, in meritis venturi æterna locarunt*
*Præmia, quod speravit id est sibi quisque potitus.*
*Nos quoque, quos ætas mundi tenet ultima, quamvis*
*Exstiterit jam fausta dies, rerumque salutem*
*Secula bis scribant octo; Spe traduce tandem*
*Sistemur cœlo: Venit mortalis in orbem*
*Ante Deus, veniet jam non mortalis; & omneis*
*Pro fidei merito diam traducet ad urnam:*
*Illius à lævâ pullis exercitus obses*
*Spiritibus stabit plorans, æterna parari*
*Supplicia, & numquam laxando in carcere pœnas,*
*Hic genus impietas omne accusabit, & in se*
*Damnabit scelerum. Mundi sapientia pellax,*
*Stulti vidos oculos ultro obscurabit in igneis.*
*Quisque volet remeare retro, & dum pectore demum*
*Constanti dominum toto venerarier ævo.*
*Sera sed hæc pietas. Flammantem addictus in Orcum,*
*Trudetur, domini quicunque altaria obivit*
*Mente mala, curisque ævum mortalibus hærens*
*Perdidit. Ante omneis immanis bestia rictu*
*Tergeminam cœlo jactans inferre coronam,*
*Ima in nocte sedens dirisque paludibus, annos*
*Ætatemque omnem æterna exsecrata querela*
*Sudabit peccata hominum; quæ vertice magno*
*Viva bibit, tumidamque alvum Babylonia Thaïs*
*Criminibus farcit mundi, dum flebile pondus*
*Auri inhiat, dirisque astrictum legibus orbem*
*Subjunxit pedibus, & ad oscula fœda coegit.*

*Verte retro faciem, tot millia cerne priorum.*
*Cælo expulsa dolis, tamdem mortalia tecum*
*Iura subr, instanteisque videns averte loquelas,*
*Dum licet, & spaciis incerta volucribus hæret*
*Vita tibi. Pater omnipotens sua jura colenda*
*Proposuit miseris, perque hæc ad sidera duxit:*
*Tu divina premis, tua fædo interlita fuco*
*Spurcicieque oppleta gravi turpissima sancis*
*Degeneri mandata metu: da, bestia, in igneis*
*Damnatos Canonas, nec te caput exsere rerum,*
*Quem pedis officio fungi alta exempla jubebant:*
*Tu latere a lævo, nisi mentem ad dextera flectes,*
*Deduces princeps genus ærumnabile ad Orcum.*
*At latere à dextro benedictum in secula germen*
*Progenies stabit verax Abrahamica, puris*
*Spiritibus socia, & patrium conscendet Olympum,*
*Candidulis incincta togis, variabilis alis,*
*Par Soli specie, florentis imagine Lunæ.*
*Mobilis in voto, quacunque æterna Voluptas*
*Optabit penetrare potens. Ipsum æthera vultu*
*Transpiciens nitido, & coram venerata IEHOVAM.*
*Vnius adspectus domini renovabit in illis*
*Sidereæ florem vitæ, excludetque tumultus,*
*Mortifero quos nunc palanteis corpore gestant:*
*Hîc irrisa cohors, stolidorum obnoxia sannis,*
*Promissam tamdem vitam post fulmina & imbres.*
*Post Furias, Tormenta, Igneisque, Vndasque, Crucesque*
*Vivet in æternum, plauditque in gaudia, quæ non*
*Luminibus spectata prius, non aure recepta,*
*Non concepta animo. Cum jam Deus omnia in omni*
*Solus erit, pietas, solus clementia sanctis.*
*Non metus infelix illic, non tristis Egestas*

*Non furialis amor, non certæ terminus horæ*
*Instabit contra, temerataque gaudia franget.*
*Finis erit nusquam, nova semper & undique sese*
*Lætitia innumeris exercens prodiga caussis,*
*Induet ore novo, saltuque sequetur amico:*
*Heic proceres prisci, sanctorum exercitus ingens*
*Stabit avûm circum, & domini celebrabit amorem.*
*Gaudebit pater æternus, mentemque benignam*
*Laxabit memorans fidi promissa prophetæ.*
*Diffluet almus amor, seque omnib. undique charis*
*Ingeret alitibus; concepto numine coram*
*Insilient læti, cælestiaque Orgia ducent.*
*Quantum quisque volet, tantum de numine vitæ*
*Æthereæ carpet, nec erit defectus in illo.*
*Certa fides nobis præfigit cætera, quæ non*
*Est animo excipere aut mortali didere Versu,*
*Nempe caput nostrum vicit fera jura sepulcri*
*Prævius ad patrem Christus; caput integra membra*
*Eripiet tumulis, secumque educet Olympo.*
*In meritis cujus fiducia nostra recumbit,*
*Placavitque patrem, Fremat ærumnabile vulgus*
*Mortaleis contra Furiæ, stygiæque catervis*
*Erumpant pestes, & vota caduca morentur.*
*Illius æternæ non possunt fallere voces;*
*Qui verbo immensos mundum glomeravit in orbeis,*
*Ex nihilo cuncta educens, miserabile fallet*
*Humanum genus, aut incerto carmine tanget?*
*Ah miseri spectate polos, quantum instar in ipsis*
*Divinæ fulget lucis! millesima pars est*
*Æterni Solis, Sol vestrâ in luce perenneis*
*Fulget agens radios, & vos se vincere plaudet.*
*Cernite florenteis cœlesti lumine terras*

*Atque animam ingentem, mundi fœcunda moventem*
*Membra, oculis animi paulatim ediscite visu:*
*Illa operum tantorum æternis vocib. auctrix*
*Servatrixque eadem, Majestas maxima, vobis*
*Materiam objecit laudum; & præconia poscit.*
*Dum superest ætas, dum vos variabile vitæ*
*Indulget vobis spacium, deponite rerum*
*Infelix studium & Sacræ date carmina curæ.*
*Quantum adeo in vobis superest rationis adultæ*
*Æthereos domino læti præludite Cantus.*
*Qui generosam animam vili demittitis igni*
*Incertosque hominum optatis tanto ore favoreis.*
*Quem canitis canat ipse decet: date carmina Christo,*
*Hostia cui melior precibusque acceptior offert*
*Nulla caput; quantum est Christo dare vocis honorem?*
*Spernite palantis circum vestigia turbæ;*
*Quisque Deo, vivatque sibi; servire jubemur*
*Inter nos nobis; hæc est verissima quæque*
*Conditio, exhortari alium. Date carmina plenis*
*Purpurei plectris juveneis; date carmina lætis*
*Plausibus affectique senes, primævaque pubes.*
*Ecce ego, vester amor, florenti ætate, comáque*
*Insignis croceâ, & tunicam variabilis auro,*
*Prægredior vates, & dudum desita castis*
*Vota fero manibus; cœlestiaque orgia duco:*
*Instaurans choreas. Læto pede nobilis ictum*
*Reddit humus plantæ, nec credita carmina celat:*
*Me puerum primis teneræ nutricibus aptum*
*Matris, in eximios elegit provida cantus*
*Cura Dei. Date plectra manu, date carmina linguæ,*
*Et pedibus Choreas, & toto corpore Saltus.*
*Te canimus pater omnipotens, tua didere pleno*

*Iussus*

*Iussa volat studio nequicquam inglorius augur:*
*Tu cum omnem solo struxissis carmine mundum*
*Carmine vis memori mortalia secula grateis*
*Promulgare tibi, & praeconia dicere versu:*
*Te canimus pater omnipotens. Te Spiritus ingens*
*Principe descendit caelo, raptatque canentem,*
*Mortaleis extra numeros; tibi sistit anhelum*
*Impellens vatem, sparsis tuus ignea linguis*
*Dicta movet; quatit attonitum sacer ardor in aestus,*
*Indulgetque Deo; Quantam vix pectore toto*
*Concipit, Exspirat flammam; & se ignorat in illa:*
*Cedite Mantoae laurus, rupe tempore frondem*
*Parthenope, maior rerum mihi nascitur ordo:*
*Eloquio necquicquam inopi Sulmonia Pallas*
*Restabit muneris, Ego Christum in carmina ducam.*
*Circum agiles obeunt sua se in vestigia vates.*
*Felices animae. Vario* PRVDENTIVS *aestu*
*Gesta canens veterum contra tormenta necemque.*
*Seduliusque pater, Mary & Victoris Acumen;*
*Atque alio dignus sed & hoc quoque dignus* ARATOR
*Nomine, Paulinusque & simplicis umbra Iuvenci.*
*Et generosorum stirpes Alcimus alta parentum,*
*Hisque pares alij, quos inter amabile nomen*
*Exserit, eloquij princeps, quem Gallia adorat*
*Barbariem exsuperans,* CHRISTI, *Bartassius, augur.*
*Divina antistes Cithara insuperabile carmen*
*Concinit. hunc iuxta docto Nazarius ore*
*Mincigenis fidibus melos aequiparabile iactat.*
*Nec minus arguto sublimis* SCALIGER *oestro,*
*Flamminiusque nitens, Vidaeque volubile Christum*
*Laudat ebur; Scotiaque ingenti Buccina plausu.*
*Innumeraeque animae, quae, postquam corpore functae,*

Purpu-

*Purpureum æternis degunt in floribus ævum,*
*Carmina cantanteis, in vita qualia cuique*
*Indulsit dominus laudi; memorantque nepoteis*
*Salvete ætherei proceres, purissima flammæ*
*Fulgura divinæ, & choreis accedite nostris:*
*Olim adeo inter vos florens juvenilibus annis*
*Perpetuum condam dia in præconia carmen.*

FINIS ARIETIS.

C. BARTHI.

# ZODIACI VITÆ CHRISTIANÆ.

## LIBER II.

## QUI ET TAURUS.

*VIX adeo postquam antiquæ mysteria culpæ*
*Diximus, ut captos malesuada superbia Patres*
*Præcipites tenebris divino ejecerit horto;*
*Quæque dehinc ales plenis immissus habenis*
*Spiritus injecit vati, cum, dicta secutus*
*Vivificorum operum; per quæ mortalis origo*
*Panditur, & superos via redditur apta per orbeis:*
*Perpetuum legis deduxi ad tempora carmen.*
*Vix adeo humanos superest rediisse sub æstus*
*Propositique tenax studium servare volentem;*

*Dia alio Virtus impulsa potentibus ausis*
*Materiæ, raptabat opus, superisque dicatum*
*Plausibus ultro instans scripta indivisa trahebat:*
*Parce tuo vati, mortalis ab indole culpæ*
*Explemus juvenilem operam. Spes credita cœlo*
*Perque manus atavum nostræ deducta saluti*
*Major in exiguos veniet mihi denique cantus:*
*Hic tumidum cornu atque ingentem in prælia taurum*
*Mortaleis versare acies, & frangere cornu.*
*Qualibus ille minis & quanto robore surgit*
*Pugnaceis explere toros stagnante cruore!*
*Hujus in effigie, postquam mortalia retrò*
*Verterunt decora immundo deperdita morsu,*
*Egit in infestas homines, Mors aspera, turmas.*
*Primus in armá Cain rudia & rationis egena*
*(Proh scelus, & ratio est infestis utilis armis.)*
*Sacrilegam movit dextram, atque ad patria fratrem*
*Occidit stabula, hæc pietas tum præmia duxit*
*Nunc quoque tot sectis firmata in secula servans.*
*Postquam acie expulsus gradii flammantis ab horto*
*Accinxit vitæ sese pater usibus Adam.*
*Nata viro proles non una è conjuge solâ est.*
*Sola patrem fecit, quæ fecerat, Eva, maritum.*
*Multi adeo nati, quos fama obscura recondit,*
*Nec memorant divino adflati numine vates,*
*Inter eos pollens pietate, Dei atque parentum*
*Castus Abel, quoties monstrato altaria cultu*
*Mactabat donis, Domino bene gratus abibat.*
*Frater huic nec mente pari, nec pectore sancto*
*Consimilis, cum dona, Cain, adoleret ad aram*
*Spretus erat; crudæ quoniam telluris arator*
*Omnia se proprio jactabat posse labore.*

[illegible] homo; superis Patrio de more parabat
[illegible] hos tali dignos quod haberet honore:
[illegible] quoties altaria libo
Or[illegible]at, memorans longi sudoris alumnum,
M[illegible]o ingrata domino contemptus abibat.
R[illegible]a Deum palasque putans, quibus ille subactâ
C[illegible]t e terrà taleis procedere fructus:
[illegible]a gens, hujus longum vestigia servans,
Moribus his ævum per tot jam secula duxit.
[illegible]am adeo ag[illegible]as genus e tellure; labori
[illegible]a transcribunt, & in hoc sua brachia adorant:
[illegible]ati pars magna operum tum denique divos
[illegible]ant, plenis cum turget messibus æstas.
At Ceres ut vacuis non respondebit aristis
E[illegible]rant superos, tamen his convicia dictant:
Talis erat, mentemque Cain validosque lacertos:
Quem tumidum, invidiâ & non æquæ sortis iniquum,
Sæpe pater, minus haud chara cum matre, furentem
Frater Abel monuere palam; submitteret iras,
Placaretque Deum, seque hoc exinde furore
E[illegible]t. Fremit ille immania pectore Versans,
Incautum donec nec quicquam a fratre timentem
Fors etiam ignarum qua mortem mente timeret,
V[illegible]perat Vincens, solumque obtruncat ad aram,
Sanguine fraterno tum primum concita tellus
Adspexit pudibunda polos, dein carmine claro
Vindicias dom[illegible] sceleris poscebat iniqui.
Audiit omnipotens, extorremque undique, cædis
Patratæ timidum, patriis procul egit ab oris.
Ut sola in terra generis cunabula sævi
Poneret, & sacros ne contemeraret amoreis
Exemplo monstrante, Cain, fugit æquore toto

*Perfidus, & nuss[illegible] m certo pede fervidus haret:*
*Donec eum miserata patris clementia summi*
*Insignem maculâ, tutumque a cæde notavit.*
*His orsi auspiciis, odia inclementia ferro*
*Mortales explere volant. Vix quattuor in se*
*Convertere manus, [illegible] fera saucia impotens:*
*At postquam diduere fugam, & munimina saxis*
*Opposuere cafe, [illegible] socialia temnunt*
*Fœdera, corripiunt telis, & mœnia signant:*
*I[illegible]sque trabes hinc atque hinc vimine torto*
*Con[illegible], arcentque objectu fluminis hostem.*
*Mox adeo dociles infanda in vulnera ritus*
*Insidias struxere suæ; qui fortior armis*
*Vibrabat, fustemque prior librabat in ictum,*
*Invictum sese timidis ver[illegible]at: Et olim*
*Si fuga quem certa subduxerat m[illegible]gra cædi*
*Ar[illegible] dolo monstrante, p[illegible] modo [illegible]ntibus altis*
*Tectus in incautum [illegible] missile [illegible]armor:*
*Aut foveam insidiam [illegible] celabat in arvo,*
*Præcipitemque in[illegible] injecto pondere mersat:*
*Talia qui [illegible] qu[illegible]quam inte[illegible]tasse, cavebat*
*Insidias, alius paullatim his addidit artem,*
*Et primum inducto texit munimine corpus.*
*Dum longo instanteis turbabat stipite turmas.*
*Mox aciem ferro expedijt. Dein fortis equi vim*
*Quadrupedem, spumantem animis, in prælia duxit.*
*Humana[illegible]e necem docuisse animantia muta*
*Nobilis, [illegible] pedes exsultabat in armos.*
*Qui formosus erat, vel patribus ortus ab illis*
*Qui multa [illegible] [illegible]rant cæde lacertos,*
*Regali cœxere metu, & mandata facessunt:*
*Hic tumidus regnis vicinum expellere certat,*

Et

*Et domito tamdem latus extendit in arvis*
*Circumscripta loca; & bellis jam fessus & ævo*
*Instituit pacem colere, & mortalia jura:*
*Parcere subjectis, armis superare superbos.*
*Interea domum procul alto e pectore cura*
*Excitat, præsertim auro cum tradidit infans*
*Ardor opum precium, & tellure secutus in imâ*
*Adconsum Stygiis invidit manibus orcum.*
*Semina bellorum tantum bibitura cruoris,*
*Mortibus adsiduis lucis ducuntur in oras.*
*Vilis homo, vitaque fugax, splendere paratus*
*Mortiferis opibus; cœlo sua jura resignat,*
*Et scrutatur humum, nec tanta in nocte tenebræ*
*Sufficiunt cæcis; ultro rimantur opaca*
*Abdita telluris, tantaque ambagine quærunt*
*Iura novæ mortis; non sufficientibus, ultrò*
*Quæ fortuna parat. Monstrum damnabile Vitæ,*
*Effodit sibimet tumulum: & tot millia subter*
*Exscindens ferro, virens necis adspicit oras:*
*Non radij solis, non illud menstrua luna*
*Non aer, non flamma venit; miserabile corpus*
*Compactum carne, & nervis socialibus ossa*
*Devinctum, æterni quærit vadimonia damni.*
*In precio est longinqua fuga à cœlestibus astris;*
*Rimantur nova subter humum; dirumque metallis*
*Adsignant numen, quærendoque omnia perdunt:*
*Quod si altò posset tarpus descendere pallor*
*Pallor avaritiæ, jam non sua jura teneret*
*Auri infandus amor. Mutata pericula mutant,*
*In vitiis pretia, & prorsus nova numina condunt,*
*Perdiderat natura vias, generataque mater*
*Visa semel cæcis procul ablegaverat antris;*

*Vi reclusit homo, noctemque in sidera duxit:*
*In propriis domibus, stygias inquirere larvas*
*Ausa, ducem invenit hominem pellacia lucri:*
*Quo ruitis? Mortalis homo est, date tempore fato*
*Quisque illuc properat; mortem anticipare cru[illegible] est*
*Ultrò vos sequitur cæcis de sedibus hostis:*
*Pœnarum hæc domus est, sæpe ipsa in nocte vaganteis*
*Viderunt Furias, visis jacuere per umbras.*
*Et tamen infelix certissima mortis in arva*
*Inveniet comitem, quisquis modo sancta sequetur*
*Corpora. Proh superi, vitæ via clara per curas*
*Deserta est, lethi celebres fœdissima gressus*
*Semita agit; gnari ante oculos periere monentis.*
*Quod si infanda lues adeo bacchata per orbem*
*Abstulit omnem animis sensum, ut dum quæritis illud*
*Credatis pretio tandem [illegible] laborem,*
*Certate qu[illegible] [illegible] quisquam morte secutus*
*Naturam, [illegible] simul agmine cuncti*
*[illegible]ant fatum, atque avidis mor[illegible]ntur in ausis.*
*[illegible]que aliquis grand[illegible]is stipaverit aptus acervos*
*[illegible] nisi sollicitæ menti fera pabula Curis*
*Congerit innumeris, venditque in vota quietem:*
*Hinc fera sanguineis incumbunt Prælia bellis*
*Turmarum, [illegible] potens furias accendit Enyo.*
*Stant consanguinea cristatâ in casside vultus*
*Spe [illegible] lucri, patricida fremit. Mars proluit aurum*
*[illegible] humani [illegible] fluvio. Carissima merx est,*
*Ob quam [illegible] cognata cæde, moranteis*
*Protrudunt Parcas, & [illegible] vulnera mergunt.*
*Ob curis [illegible] buere metallis,*
*[illegible] le[illegible] pingentia textu*
*Deducunt terris & adaptant sidera venis.*

*Cæci*

*Cæci adeo fatuique animis. Nam Conditor ingens*
*Nota superstitio cui jam foret impia, quondam*
*Vexatura genus nostrum; cum sidera nondum*
*Fixisset cœlo, nec agentem lucibus axem*
*Consisset varius; ante alti regia Solis*
*Lumina, noctividamque minori flore sororem,*
*Composuit terram & medio suspendit in orbe.*
*Tertia lux etenim Stirpeis & gramina jussu*
*Omnipotente creat. quæcunque humus arida servat,*
*Hic etiam venis aurum instillavit opacis*
*Atque alia excisis specubus producta metalla.*
*Scilicet hanc genitor lapsis mortalibus ante*
*Norat agi labem, ut cœli supera alta videnteis*
*Egregias colerent formas, moderamina rerum*
*Terrenarum illis auctricibus addere proni,*
*Ergo quarta dies cœlorum absolvit honorem.*
*Post posuitque Aulam clarentem mille figuris*
*Rex hominum stabulis. Quod si ante ingentia Olympi*
*Mœnia, distinctus faculas spargentia signis*
*Induerat floreis terra, atque adjecta vigebat.*
*Non poterunt certe causasque & momina rerum*
*Astra oculis gestare suis, & didere cœlo.*
*Cur [illegible] tamen Soboles [illegible] conspirantia nostris*
*Si[illegible] videt fatis, d[illegible] fata minatur*
*Cœlorum harmonia, [illegible] regno postponere regem:*
*Si etiam crudele fr[illegible] Mavortis anheli*
*Inv[illegible] sp[illegible] simulacra [illegible] pallida finxit:*
*Sanguineasque iras, & crudum [illegible] prælia sidus,*
*C[illegible] misceri cæca [illegible] laborent,*
*S[illegible]aque A[illegible] bella sequantur*
*[illegible] pervers. lues [illegible] Martis*
*In[illegible] m[illegible] mortis [illegible] longe*

*Noxia, crudeleisque ignes pernicibus alis.*
*Est subter Stygio crudelis gurgite Pœna*
*Ore ciens flammas, atque horrida tota cruore;*
*Sanguineum dextra quatiens flagrante flagellum;*
*Anguinei crineis circum caput undique surgunt*
*Sibilaque exertis meditantur fulgura linguis.*
*Scissa malo vestis, micat acer ab orbibus ignis,*
*Orbibus obscœnis, & latè spicula jactat:*
*Læva manus longe protenta hastilia vibrat,*
*Ventre [illegible] medio tormenta immania belli,*
*Pulvere mortifero plena, & turgentia Saxis,*
*Prostratos quibus illa ingenti turbine muros*
*Exscindit terris, hosteisque & mœnia raptat.*
*Præcedunt monstrum Metus & Fuga mobilis alis*
*Terrificusque Tremor, subitoque furore Tumultus*
*Panicaque obstanteis turbantia Classica turmas,*
*Mors sequitur, latâ segetem Sicilice radens,*
*Horrendique adeô [illegible] parte Dolores.*
*Hanc mortale genus peperit sibi, numine lævo*
*Dissidium exercens pugnis. Discordia nomen*
*Infelix habet atque humano regnat in orbe:*
*Hanc pater omnipotens flammis ferroque nocentem*
*Immittit miseris, cum jam peccata lubenti*
*Mente patrant, noluntque retro grave flectere pondus:*
*Cum monitus odêre sacros, cum pectore læto*
*In furias surgunt & sancta oracula calcant:*
*Illa gravis super incubuit, fera prælia surgunt*
*Undique pacatis mutantur falcibus enses*
*Tristifici; subitô fervent animosa tumultu*
*Agmina, & in cladeis furiatâ mente feruntur.*
*Ilicet exspirant leges, sancta omnia turbant*
*Stricta acies; ibi fas gladius, ubi plurima cædes:*

*Sa[illegible]*

*Sacra patrum pereunt; clauſis oracula valvis*
*Dia ſilent: Non pax, non mutua fœdera [illegible]*
*Bacchantur furias: Lancemque Aſtræa reſignat;*
*INSIDIAE, Vis, fræna regunt: Crudele Libido*
*Sanguinis atra fremit; tincto ſemel ore Cruorem*
*Excutere ignorans, & prælia torquet in orbem.*
*Quæ ſuper incertò pendens fortuna favore*
*Præcipitat molem belli, & rapida agmina rumpit.*
*Talibus inter ſeſe odiis mortalia ſervunt*
*Pectora, cum cunctis extet tamen una Tonantis*
*Iuſſio, ament ſeſe, atque in mutua fœdera [illegible]ent:*
*Quippe uno genitore ſati, matertera quorum*
*Terra manet, gremioque vno tot millia poſcat:*
*Verum adeo ſpreta eſt divinæ regula legis,*
*Liberior quo quiſque indulget in omnia mentem*
*Crimina, ſuſpicio fovet hoc magè certa favoris.*
*In cauſâ ante omnes proceres, quos ardua dudum*
*Perſuaſit fortuna altorum aſcendere fatum:*
*Exſurgunt igitur nec jam mortalia contrà*
*Hoſtem odia exercent. Vnius una[illegible] verbi*
*Millia procumbunt lat[illegible]s equitantia ca[illegible]os.*
*Hi genus humanum ceu nobiliore creati*
*Membra, leto, pretio vili venale ſubhaſtant.*
*Atque animam æternam cum corporis æde caduca*
*Immergunt leto; nec jam mod[illegible]is Olympum*
*Iura aliena timent; tantæ ditionis [illegible]*
*Amplexi manibus vit[illegible], ſ[illegible]que potiti.*
*Quod ſi adeo vnius [illegible] ob mortale cadaver*
*[illegible]teis populos d[illegible] vit [illegible]*
*Te[illegible] [illegible]rbi*
*Ira; quid in [illegible]m?*
*Tot numeros hominum ſi[illegible]*

*Ambitione furens manifesta in tela tyrannus*
*Cum rapit, & miseros meritâ sibi morte trucidat.*
*Scilicet hoc certò credendum exempla priorum*
*Confirmant nobis, & magnâ voce reponunt.*
*Supplicium auctori crescit, conspectior auget*
*Damna reus. Sceptrôque potentia nixa reatum*
*Ingeminat. Dare jura hominum vis maxima genti est,*
*Majus eò scelus est, si jure injuria mutat:*
*Præterea celsò fulgens diademate princeps*
*In se oculos aureisque trahit. Damnosa regentum*
*Corrumpunt turbas exempla: Potentia dium*
*Persuadet genium rudibus: Lituosque secuti*
*Sectantur mores regum; miserabile vulgus*
*Scilicet ut nervis alienis mobile lignum*
*Ducitur, & nutum pro numine adorat herilem,*
*Sensibus exsutum propriis: tamen impia poscunt*
*Tartara cum miseris una ratione potentes,*
*Navita futilibus supremo vada fœda per umbras*
*Abietibus, porthmeus, nullo discrimine parvam*
*Exoneratque oneratque ratem: nec Tantalus ingens*
*Æternis minus ora sitique fameque fatigat*
*Ambrosiâ pastus quondam convivia Deorum;*
*Quam miser, extremæ sortis, pauperrimus Irus.*
*Lazarus intereà, celso subvectus Olympo,*
*Considet in gremium domini, dum prodigus heros*
*Perpetuis natat in flammis, & sidera longâ*
*Intuitus procul alta fugâ, miserabile misit*
*Murmur, & insolitô percussit carmine divos.*
*Illius è cunctis opibus nil lauta secutum est*
*Funera; descendit, qui venit, nudus, ab orbe.*
*Gutta fugit flagrantem undæ. Nec pectora fas est*
*Vel tenui laticis paullum recreare liquore,*

Quæ

*Quæ Stygius pœnis Furialibus ignis edebat;*
*Discite ab exemplo proceres, quæ quemque maneant:*
*Sceptra, genus, Gazæ, magnæ vis regia dextræ,*
*Prudentesque cato conspecti in pectore sensus,*
*Ingeniumque sagax, & gloria fortis, in armis,*
*Magnificæ laurus & fixa tot alta tropæa,*
*Ingentesque aulæ, atque minantia mœnia cœlo,*
*Rupibus impositæ celsis, vi fluminis, arcis*
*Invictæ, visque ampla virum, visque ampla regentum;*
*Vmbra velut Phœbo croceum repetente cubile*
*Vanescit ventis & in aera victa recedit;*
*Fumus ut instabili Boreâ dispersus in auras*
*Delicuit, nec jam ulla sui vestigia liquit:*
*Pulvis ut adverso nequicquam concitus Euro*
*Diffugit in vacuum, nec in agmina cogitur umquam.*
*Vox veluti claro sonitu modo verberat aures,*
*Ore perit clauso nec cernitur ulla fuisse;*
*Flamma vorax veluti consumta disperit à se.*
*Materie, exscendens, nec lumine tangitur umquam,*
*Ventus ut adverso rumpit vacuum æthera pulsu*
*Dum volat auditur, cum transiit, esse negatur.*
*Fax veluti densas rapidum jaculata per auras*
*Puniceum revocavit eodem momine crinem.*
*Vt ratis instabili fugit æquore, prodiga visus,*
*Nulla tamen celeris linquit vestigia plantæ,*
*Vt leve sollicitæ mentis discurrit [illegible],*
*Cum periit, periit prior, & nova [illegible] umbra.*
*Omnia sic noto pere[illegible] mortalia p[illegible],*
*Cum fugêre semel, [illegible] ulla [illegible]sse putantur.*
*Qu[illegible] pe[illegible] ubi Rex op[illegible] [illegible] potus*
*Am[illegible]t vitam; jacet & [illegible] cadaver,*
*Maxima seu minima in [illegible] duxerit a[illegible]is*

*Tantumdem inde refert: Celeri pede labitur hora:*
*Qualibet hunc adeat, cum corpore donec adulto*
*Cura fugit rerum & mutata cadavere pompa est.*
*Hic quamquam casia & pretiosis membra rigantur*
*Unguinibus, cariosa tamen rapit omne vetustas;*
*Immergitque situ & tenebris liventibus ambit.*
*Exanimes quamvis foliis nitor explicat artus*
*Balsameum invergens succum, & servantia mella,*
*Umbra tamen nil inde boni sui procul acta fruetur.*
*Illa volat, certosque locos, suaque astra revisit*
*Immemor abjecti materna in viscera dudum*
*Corporis; extremo donec tuba carmine clangens*
*Aeternos artus Reginæ in vincla perennis*
*Iunget: & etherei sistet cita judicis urna:*
*Illa ubi supremo jam non revocanda cibit*
*Iura throno, quantas hominum tunc rere catervas*
*Noctis emersuras trepida, quas Martius ensis*
*Hauserit, & fatis dederit properantibus Orco!*
*Quæ modo mortificis virtus jactatur in armis*
*Innumeras delere acies, pudibunda sequetur*
*Noctem homicidæ atri, Stygio qui vinctus in antro*
*Aeternis præses pœnis; quæ sustinet ipse*
*Supplicia exercebit ovans in secula, secum*
*Damnata in meritas, furiosâ labe, luelas:*
*Thessalus hic princeps, magni delator Homeri*
*Eversaque alii jactantes Numina Troja*
*Semidei Heroes pullo se in carcere versant,*
*Ore eructantes exhausti undosa cruoris*
*Flumina; Persarumque Dei, quos pronus adorat*
*Frustra Oriens, nec Chaldæi minus agmina Reges*
*Destabunt lacrimosam undam, & sine morte peribunt.*
*Ipse adeo æternos animo meditatus honores*

Major

*Major avis, Iuvenis, quo Gracia vindice cl[illegible]*
*Vlta Asiam è sceptris p[illegible]dit [illegible] meretricis adiget;*
*Innum[illegible]ras acies i[illegible] q[illegible]as straverat olim,*
*Sanguineas dabit effuso d[illegible] sanguine Pœnas,*
*Quin etiam Romani alt[illegible] cervice per orbem*
*Grassati, proceres, hum[illegible] corpora tabo*
*Vndique ferv[illegible]ant m[illegible] torrentibus undis.*
*Inter quos late furiis m[illegible] priores*
*Plorabunt Caliga & [illegible] atc[illegible] f[illegible]re pallens*
*Claudius infelix, m[illegible]strum [illegible] de f[illegible]dis,*
*Criminibus; datu[illegible] unde o[illegible] par[illegible]te du[illegible]*
*Qui modo terrifico Chr[illegible] alta altaria t[illegible]o*
*Insedit Serpens, v[illegible]rusque exspirat in orbem.*
*Ante alios omneis, queis cognita dia voluntas*
*Nomine confessi Christum, sed pectore Martem,*
*Irreparabilibus pœnis in nocte profunda*
*Versati sursum, versati deinde deorsum,*
*Mille neces cassis opta[illegible]unt fulmina votis.*
*Forcipe candenti juxta feralis Enyo*
*Imputat effusum, quem Christi morte redemtum*
*Inscripsit fatis Pater, atra in bella, cruorem:*
*Pausa fugit mis[illegible]andum, at nullo sine dolorem,*
*Constipans miseris cruciatibus undique pœnas:*
*Hos rota retrograda hos ferventis lamina plumbi,*
*Hos adipe adspersi cauteres, ungulaque ardens,*
*Membratim lacerant; nec mortem in vulnera mittunt:*
*Hæc a[illegible]o veræ dicas prælu[illegible]ia pompæ*
*Mort[illegible] [illegible] At contrà Spiritus horrens*
*I[illegible] cruciatibus ardet in ipsam,*
*Spe[illegible]unt [illegible]los, & gaudia magna piorum,*
*Cumque his transacte cor[illegible]one[illegible]t tempor[illegible] vitæ;*
*Se pot[illegible] ad[illegible] migrare [illegible] secla volente[illegible].*

Vnde

*Vnde adeò invidia & trux desperatio mentem*
*Conscindent flagris, furiæque à crine solutis*
*Anguibus instabunt; tristi clamore per umbras*
*Terrifica voces contra divina volabunt*
*Gaudia castorum; quæ cœlo interprete capta*
*Vltro omneis imo e fundo in nova flagra vocabunt*
*Sanguineas pœnas; votum mors omne futura est.*
*Sed neque mors nec vita in carcere nota perenni est,*
*Vivendo morientur, & ipsa in morte valebunt;*
*Vt satis æternis exstent sine fine luctis.*
*Angor inexpletus, stridor malesanus, amaror*
*Mentis inexhaustus, sine solatore dolorum*
*Agmen inexplicitum, tortoreis cura, tremorque,*
*Insanique metus, indefessique furores,*
*Circumagent trepidos atque ima in tartara mergent:*
*Exspuet ima palus, jam reddita corpora fundo,*
*Reglutit mare mortiferum, renovata laborum*
*Materies crescit atque ordia finis acerbat*
*Sulfureis flammis nitroque accensa sonante*
*Membra fluent, miroque tamen mortem ordine fallent.*
*Nam neque principium nec finis in ordine tali est;*
*Pœna premit pœnam. Quod si mons staret arenis*
*Maximus, immenso dená vice major olympo,*
*Mundum omnem amplexus cumulo, dein parva volucris*
*Mille annis semel ingenti de monte revellens*
*Portaret granum, & post secula dena rediret;*
*Posse adeo finem pœnis accedere tandem*
*Crediderint miseri, votisque hoc omnibus optent:*
*At fuga perpetuô sine fine volubilis ævô*
*Temporis æterni, spes omneis, omnia ademit*
*Vera; nec ignaris. Nam dum via flexilis esset*
*Orbe super nostro, sanctos sprevere monenteis*

Et

*Et risere minas; & præcipitantibus ultro*
*In mortem venere animis, gnari atque volentes:*
*Quapropter nec flamma modum nec sulfuris undæ*
*Nec furiæ norunt, nec teri unus ullus habendo est:*
*Ille adeo infelix pecus his sermonibus usum*
*Audivi contra & dictis lenire furorem*
*Tentavi frustra, malaque est mihi reddita merces:*
*Siquidem, ait, certum est nunquam succedere cœlo,*
*Errata satius, spretique per omnia divi;*
*Nec cupido certa mens est à morte reverti.*
*Mittite equos, plenis Barathrum subeamus habenis;*
*Stet miseros Lemnius audacis fulmine cursus*
*Externare animus manibus tormenta nefandis*
*Excutere, atque alia rapidos excedere porta:*
*Quod si adeo non est flagrantem abiisse per Orcum,*
*Sunt inibi multæ nostro de sanguine forteis*
*Magnanimæque animæ; quin nos jungemur & illis,*
*Nulla est invidia, hic veteris simulamina vitæ*
*Vivemus tamen, in vino & venere, atque Gradivo.*
*Si supera obstiterit, firmato poste, potestas;*
*Ipsum acie instructa cœlum expugnare parati*
*Sistemus portis vexilla volantis olympi:*
*Dixerat infelix, & se tam fortia dicta*
*Gaudebat sparsisse palam: Miserabile, dixi,*
*Siste caput vocem, neque te cumulum ingere pœnis:*
*Talia rite manent Acherontis monstra cavernæ,*
*Et vacuos Erebus laxat vementibus orbeis,*
*Hic tumens ira & flagranti percitus Oestro*
*Ense venit stricto, meque in fera prælia poscit,*
*Sed bene; nec frustra caput hoc tentaverit hostis,*
*Venimus, & bino fœda ora notavimus ictu.*
*Læva manus quamvis sit vulnere læsa minuto*

Nil tamen inde trahit [illegible]: con[illegible]a cicatrix
Perpetuum signat pietatis o[illegible]rima d[illegible].
At vos pr[illegible] quos dira impellit [illegible]yo,
S[illegible]dibus ex[illegible], summi [illegible] præcepta Monarchæ
Nocturna [illegible] verba [illegible],
Sanguine in[illegible] lassi [illegible]te ferro
Exercere palam [illegible] Christi [illegible] IESV
A[illegible] iam [illegible]are nefandum est:
I[illegible] mucrone exer[illegible] audax
I[illegible] assultus, qui contra jura piumque
[illegible]ternas a[illegible] campo concurrere mandat:
Iustitiæ vo[illegible] arma manent; legesque tuendæ
Au[illegible]o ferri [illegible], agite, ite, lacertos
Excutite, & mala facta bonus exscindite latè
Vindicis: Hem vos gla[illegible]is ultoribus ingens
Iustitiæ cinxit fautor. Date prælia contra
Insidias, mo[illegible] malos; qui[illegible] undique virtus
Obru[illegible]tur, [illegible]que cadens truncat[illegible] herbâ:
Armenti [illegible], quem gloria cornu
Invicto asserunt [illegible]rem, ornantque magistri:
De grege nil pro[illegible] læsurus, in extera vertit
Tela caput: [illegible]que animos palearibus altis:
Et pede pros[illegible]igit terram, & se spargit arenâ,
Mugituque ciet cunctantem, atque evocat hostem.
Transfl[illegible] ille ferox magnis mugitibus instat
Respondens, at du[illegible]um ubi jam grave cominus urget,
Optat agros, oditque fugam, & tamen arripit hærens:
Sic patriæ pater invictus, stirps dia deorum
Austriaci generis decus immortale, RVDOLPHVS
Natus ad Imperium tritavo de Cæsare, victor
Augustusque [illegible], [illegible]us pietasque regendo
Gloriaque hostiles late expellendo catervas

Vltrò

*Ultrò atavos præcedit ovans; & ad astra vehetur:*
*Nunc ille interno lassat gravia arma tumultu:*
*Nos latronem Asiæ vice supplicis ire paventem*
*Vidimus, & nostram pro munere quærere pacem:*
*Hic caput triplici Imperio præsignis, & ingens*
*Terrarum, Medique tremor, nostra arma salutat*
*Pronus, exstantemque Aquilam lunatus adorat.*
*Iam prope felices accedere credimus annos*
*Devulsus cum fræna Oriens Romana subibit*
*Sponte iterùm; excutietque jugum, Parthosque prementes:*
*Augurium dant fata sacrum & sacra pectora tangunt.*
*Huc instate viri, junctis hûc protenus armis*
*Congruite, ad magnum pugna hæc grassatur honorem!*
*Hic arasque focosque hostis, cœlestia jura*
*Turbaturus adest; omnemque exscindere ferro*
*Teutonicæ sobolem, & juratum in fœdera regem*
*Provolat è latebris; quàm primum fervidus ales*
*Instaurat pinnas, amissaque robora sentit*
*Succrevisse domi, tum, tum, revocandus in arma est.*
*Cum queritur, supplexque orat pro munere pacem.*
*Pœna priorum ingens in bellica facta furentum*
*Hic tetigit serâ miserandos clade nepotes.*
*Nam studio immenso venata duellica pridem*
*Secula avium decora, infandis in mutua dextris*
*Vulnera corruerunt: Vidit pater almus olympo*
*Concepitque animo pœnam; & revocavit ab antris*
*Agaridem infestum; volat ille potentibus alis,*
*Quodque videt rapit, & raptum vi reddere certat.*
*Iamque Asiam ingentem fœdis premit ales habenis*
*Nocticolor; partemque Europæ avulsit ab oris.*
*Millia multa virûm successa in prælia raptans.*
*Vix hostem reperit, pronis genua ardua flectunt*

*Sceptri-*

*Sceptrigeri reges animis, atque oscula portant:*
*Ille pede imposito calcat turgentia colla*
*Iuraque fœderibus præscribit dura coactis:*
*Servileisque operas injungit, & arma paratu*
*Cum socio: Iura [illegible] adjicit in prælia reges*
*Mancipia impuri prædonis, & agmina contra*
*Regna Dei non sponte fremunt: [illegible] impius ille*
*Fasque nefasque [illegible] nodo:*
*Hic De[illegible] flagr[illegible], [illegible] culpis*
*Christi[illegible]lum a[illegible] mundum:*
*Interea dum reg[illegible], dum turbulus orbis*
*Subsidit [illegible] dira tyranni.*
*M[illegible]a discord[illegible] bunt vul[illegible]*
*Vi vac[illegible], proceres, ad quas nil scilicet h[illegible]rens*
*Attineat stridor pa[illegible]rum, oriente levatus,*
*Occiduumque acri p[illegible] tur[illegible]ine mundum:*
*Sperni adeo omnipotens c[illegible] & sua regia fervet*
*Agmina: quæ ma[illegible] hac d[illegible] modo illuc*
*Præsuit imperi[illegible] rep[illegible]*
*Iussa patr[illegible] se m[illegible] r[illegible]ducent*
*N[illegible] studia & v[illegible] in [illegible] vocabunt.*
*Vl[illegible]ro a[illegible] hostilem pœnas d[illegible]flectet in ipsas*
*Omnipotens; non sponte docens tremuisse suorum*
*Agmina, se ultriceis animasse in prælia turmas;*
*Nec virtutis opus propriæ donasse tyranno*
*Millia tot telis prostrata immitibus; ingens*
*Provisum cælis bellum; & victoris in arma*
*Demissum imperium: Nunc se sua poscere jura,*
*Qui Dominum contra dominique altaria ferro*
*Arserit, infandas luiturum in secula pœnas.*
*Hæc finis pugnarum, annis volventibus, hæret.*
*Ex animo impietas, nostras ubi dira relinquet*

Teuto-

*T[illegible] campos, al oque [illegible] vertice?*
*In [illegible]e fortuna cadet l[illegible]ronis [illegible]*
*S[illegible]que suis pedibus ultro moriturus ad aram*
*S[illegible]t, [illegible] t[illegible]rim[illegible], Toto super agmine princeps*
*C[illegible]is ferro ferrata in nocte jacebit.*
*C[illegible] ur[illegible] omne armigerum genus, & fortissima bello*
*Corpora, qui sacras ausi contingere vittas*
*E[illegible]ti e mundo populi, stravere, piorum*
*Millia humo multa & sacro arma cruore lavarunt.*
*At si odiis in se diversa ferentibus alti*
*Restabunt proceres, atque in fraterna redibunt*
*Vulnera, laxatis rabies immanis habenis*
*Orbem omnem inflammet furiis, & Thracia regna*
*Teutonicæ junget sceptris, Hebrumque superbum*
*Danubio Dominum Germanis inferet arvis,*
*Barbarus, & divum obscœno pede regna domabit.*
*Quam cupiant tum concordi vixisse sine armis*
*Inter se obsequio, procul a crudelibus ausis!*
*Et junctis instantem animis pepulisse tyrannum!*
*Sera, sed infelix retro volet ira reverti,*
*Ulcisci que atavos, præclusa potentia late*
*Arcebit facinus, tristisque auctore redibit.*
*Quod pater avertat, Turcisque grave imputet omen:*
*Qui Stygium infando virus Mahomete trahenteis*
*Christicolas ferro genteis exscindere votis*
*Omnibus exposcunt, Partim in Iudæa furenteis*
*Somnia, partim ex se fictam peperere pudendam.*
*Scilicet Aggaridem cœ[illegible]gnicoloribus alis*
*Stertentem imposuit, juve[illegible] divinus, & inde*
*Inscribi jussit libris memorabile visum:*
*Unde ferox armis mer[illegible]tur jura beatæ*
*Ismalides vitæ, qui plurima corpora letho*

*Christiadum dederit, f[illegible]is se protinus illis*
*Induet in cœlum, Paradisiacosque lepores:*
*Quos miseri certo distinguunt ordine luxûs,*
*Illecebrasque addunt & fœmineæ agmina pompæ;*
*Gens fidei irretiens, [illegible] armis omnia vendens.*
*Nec tamen impatiens [illegible]. S[illegible] moribus, ore*
*Et pietate prior, primus [illegible] per orbem;*
*Tartareis populis, quos in sua fœdera traxit.*
*Altera quæ flammis & crudo perdita ferro*
*Chrysticolis infensa venit, Stygio æquore nata,*
*Gens superûm temtrix, virtutisque in[illegible]ia cunctæ.*
*Prædatrix mundi Scytico contermina ponto:*
*Nec facies nec forma hominum est. Vmbratile murmur*
*Effigiesque atra grassantum in nocte timetur,*
*Empusarum horrens Lemurumque simillima vultu.*
*Nulli fida satis, nec enim sibi. Plurima contra*
*Se servit pretio, pretium rude [illegible]abula signant.*
*Non secus ac patriis T[illegible] in armis*
*Sanguine projecto [illegible] te parandâ*
*Alterius gentis vi[illegible] funere mergit*
*Confessus posito [illegible] contemnere lucro.*
*Degener ab veterum, qui cum Romana Deorum*
*Deru[illegible] olia, & caput altum in frustra secarent,*
*Ausi æternam urbem, sacrosque exscindere muros,*
*Secla tot Imperiis rerum florentia tecta,*
*Nil pretio, virtute suâ victricia, cœlo*
*Aequarunt decora, & cum gens non ulla timeret*
*Aequali studio venerata nobile nomen*
*Ipsius ingenium F[illegible] dixere potentem*
*Fulmine Germanum armorum & constantibus ausis.*
*Tum pietas florebat inops Luxusque dolique*
*Strenua contra hostem, & sociorum insignis amore.*

*Omnia*

[illegible] Consilio nil vive odiove gerebant.
[illegible] imperium toto queis orbe tenebant
[illegible] virtute [illegible]. Gens horrida cultu,
[illegible] fra[illegible] ingenteis [illegible]sibus artus,
[illegible] facibus, nec amori obnoxia telis.
[illegible] fideique tenax, florentibus armis
[illegible]ssera ulli, numquam devicta; virorum
[illegible]a exercens non blanda moribus Aulæ,
[illegible] juvenili alacr[illegible] incendens pectore vireis;
[illegible] desiderio rerum emollita novarum,
Externique hostis luxus; contemtor honorum,
Sed vigilax animus duri[illegible]que in prælia nervi.
Sed postquam vili virtus elisa duello
Concessit luxus, externaque gurgite merces
Perspicuo priscos animos, & pectora fœdo
Fregit adulterio, Tormentaque bellica Sortem
Non animum vicisse jubent. Ingloria vulgo
Calcatur virtus, & fortuna omnia versat.
Tum genium è Stygia ducentes nocte per umbras
Emicueri viri: Quorum doctissimus heros
Exiti[illegible] creat facinus, l[illegible]oque potitus
Alite, divinâ curâ, mortalibus ægris
Pestiferam extundit molem, quæ corpore longo
Concipiens animam obtusam, jaculabile fulmen
Includit ferro, post[illegible]e obmunit ahenos,
Inde nitrum cum sulphureis contundere certat
Pulveribus, flammam ut facili trahat impete velox
Materies, quæque apta viam prorumpat ab antro
Expellatque globum & longe jaculata residat.
Stat Chalybe edurâ præsens in fata caminus
Exspectatque hominem, d[illegible]ram ut mortem inferat orbi.
Spargit eam in populos, lon[illegible]que ambagi[illegible] ferrum

*Connectens fragile, hinc uno centum abstulit ictu*
*Armigeros inopina viros: Nec bellua nequit*
*Certificos vibrare globos, tot millia passuum*
*Transit & ad digitum praefixa turre potitur.*
*Ars jam facta [illegible] mors perfidia normis.*
*Regulaque in letho est. Huc omne vocatur & exit*
*Ingenium humanum. Specubus sedere profundis*
*Subter humum Scir[illegible] ne [illegible]mina saxis*
*Obstarent crudeli a[illegible], nec flumina cursu*
*Grassantem possent t[illegible]er pia rumpere mortem.*
*Hos Stygio implerunt invisi pulvere: velox*
*Exit in astra furor, Bacchataque sulphure pulso*
*Flamma rapit turreis, & propugnacula jactat,*
*Vix tali stridore potens Acherontis opaci*
*Exeruit caput attonito moderator olympo,*
*Commisitque acies Furiarum, & f[illegible] regit.*
*Ipsa ingens rerum flamm[illegible] torquent[illegible]das*
*Non majore furit crebro Natura per altas*
*Cum venti nubes t[illegible] rediens [illegible]oro.*
*Et firmanda fide[illegible]. S[illegible]us un[illegible]ata Tonantis*
*Extudit h[illegible]a pe[illegible]leis de nocte Megæra.*
*Non tamen ausa suis initi viribus, ingens*
*N[illegible]um experta malum, humanos intrusit in usus.*
*Vt mortale genus miserum, atque obnoxia mille*
*Morborum infandis formis, gens carnea, letho*
*Obvia festinaret, & ingeniosa periret,*
*Exercens contra corpus pugnacis acumen*
*Mentis. Ab hoc tamdem depulsa est fulmine virtus*
*Orbe suo. Studium omne dolis & fraude noverca*
*Exercent fratres. Nec stirps heroa parentum*
*Ausa sequi servat vestigia, turbine docto*
*Proruitur puerili opera, & super arma recumbit.*

Non

*Non Clypei, non tela juvant: miserabile vulgus*
*Ducitur in certam tormenta per impia mortem,*
*Autoremque necis numquam visura fatetur*
*Turba obiens, nec tota perit: pars marmore duro*
*Frangitur, & longe ruptum est de corpore corpus,*
*Mille jacent trunci momento temporis uno.*
*Nec minus audaceis per fracta cadavera turmæ*
*Occurrunt furiis: donec munimine ab alto*
*Flamma redux alios alios conjungit ad Orcum.*
*Succedit moritura cohors, vi præpete tandem*
*Obruitur pugnax moles, excisaque mille*
*Mortibus occumbit [illegible] stat turribus altis*
*Ignis Edax, pascitque iratum concitus hostem.*
*Proruitur non his arx quædam extructa Deorum*
*Progenie studiis, sed contra Thracia regna*
*Objiciens fidos obices, & mœnia firmans*
*Consilio patriæ. Nunc fundo excisa suorum*
*Procubuit manibus, longa test ita ruina*
*Infelix fatum, venturasque alite pœnas*
*Agmine, fraternis ultro [illegible] manibus arma.*
*Ah miseri propriis in [illegible] fata [illegible]essent*
*Viribus, invi[illegible] [illegible]abile bellum*
*Irreparabilibus [illegible] [illegible]ntur, & in se*
*Funere [illegible] [illegible] imbe[illegible] altè*
*Hostibus. Hi magnas strages super alite [illegible]*
*Exercent cædem [illegible], & ra[illegible] ag[illegible] raptant*
*Excidio patriæ civili in [illegible]rte jacentium.*
*Non tanti [illegible] com[illegible] in [illegible] numen*
*Christ[illegible]dis, od[illegible] torr[illegible] tris*
*E[illegible]cua in m[illegible] ponent*
*Co[illegible] regi[illegible] jurare*
*Vi[illegible]*

3 Nata

*Nata cohors, clem[illegible] numen aversata Tonantis,*
*Tartareis obj[illegible]s sine [illegible], perpete planctu,*
*Spiritib[illegible] quam cæ[illegible]stes [illegible]unquam aure loquelas*
*Percepisse cava [illegible] melioris in ævum*
*Fortunæ, quam d[illegible] novisse, nec alta*
*Mente voluntatem fa[illegible]sve bene esse se[illegible]utum!*
*Scilicet ignari levior pe[illegible]antis in ausus*
*Culpa venit, pœnamque in simplice mitigat ardens*
*I[illegible]iciæ gladius. Co[illegible]a duplicare reatum*
*Gnara solet sceleris præavisaque mente voluptas.*
*Illius in peccata venit scelus, error in i[illegible] est.*
*Quod si adeo omnipotens per se testata potestas*
*Firmavitque fidem & firmatam in [illegible]ula misit,*
*Non solum malefacta virum, se ultricibus armis*
*Ex[illegible]surum orbe, atque æterna n[illegible]rte per umbras*
*Vlturum, sed quæque animi conata [illegible]*
*A[illegible]e ipsos se[illegible]us & con[illegible] vota*
*Damnaturum Erebo: [illegible]a lege ad judicis urnam*
*P[illegible] proceres, qui tot per multa raptant*
*C[illegible]s annos, nunquam satiabi[illegible] fulmen*
*C[illegible]us innumeris, & non mortale nocendi*
*Præcipiti studium fi[illegible]â, & Stygialibus iris.*
*Vos verò, ô casti, quorum est accisa potestas,*
*Et n[illegible] iden[illegible]a cohors, qui mente & pectore Christum*
*C[illegible]ssi, [illegible]ictas contra in fera prælia turbas*
*Cernitis, Hesperiis late consurgere campis*
*Et quatere innumero flor[illegible]teis milite cristas*
*Sceptriferos mundi dominos, sata corpora Averno,*
*Vt longe incendant animus [illegible]dentibus a[illegible]ras,*
*Mortiferumque fremant, vegeto de corde timorem*
*Excutite & contra [illegible]teis opponite dextras.*
*Pro vobis cælum est. Prius ac vestra agmina vincent*

Dei-

[illegible] fide, cæli pater [illegible] verus
[illegible]os mittet ju[illegible]s, quor[illegible]m [illegible]
M[illegible] [illegible] confecerat [illegible] tyrannis
[illegible] in castris, [illegible]m omnia ex [illegible] regem
[illegible] sceptris [illegible] fallacis ad [illegible]
[illegible] et nati [illegible]bus, quod tangere sacra
[illegible]tus [illegible], templo Omnipotentis aram
[illegible]sse manuum studio properabat inani.
Frendentem pater omnipotens [illegible]na gementem
Retro agit insultans & prisca recludit in antra.
Non secus ac prima furibundum ætate juvencum
Transfluviumque fug[illegible] candente amore
Præcipitem, injecto deter[illegible] fune magister
Subjunxitque animosum & frustra in celsa furentem
Cornua, dejectis do[illegible] inglorius arva
Proscidit furiis, exosaque traxit aratra.
Vos agite, inter vos odia omnia ponite, prona
Pacis ad ingenuum semper florentis amorem.
Nil mortale animis spirate potentibus astrûm,
Q[illegible]modo cœlesti Imperio populoque patreisque
Compositis regi[illegible]is fr[illegible]s, & legibus aptis
Quisque suâ in [illegible] Dei vice regna tenetis.
Volvite cælestes a[illegible], dominique superni
Ad præscr[illegible]a viam [illegible] adfectate salutis.
Nil vos sceptra j[illegible], [illegible] circumst[illegible] pe[illegible]la,
Nil virtus an[illegible]mosa domi & dominantibus armis.
Sis pius in primis ex[illegible]laque regi, Princeps,
[illegible]ribe rudi [illegible], [illegible]aque mor[illegible]us altis
Regna ju[illegible], [illegible] dig[illegible]m
Conciliare d[illegible] nat[illegible]us [illegible]te,
Sanguineam ante [illegible] fuge lata tenere
Imperia, humanum [illegible] & sors va[illegible]a disti[illegible]t omn[illegible]

*Quod vaga composuit merito dominabitur orbi*
*Qui dat frena sibi atque animi variabilis æstus*
*Continuit ratione potens. Iactata per undas*
*Anchora, nec morsu tellurem amplexa tenaci*
*Nec stabili manet ipsa gradu, nec more Carinam*
*Tutatur patrio, nisi quis prior exigat a se*
*Quod jubet, exemplo facinus non absterret iniquo.*
*Tu te disce prius, meditataque sensibus altis*
*Imprime jussa domi. Facinus regale sequetur*
*Compositis vulgus studiis. Subjecta reguntur*
*Exemplis Domini, Princeps sine legibus orbem*
*Temperat adstrictus, sed sponte in legibus ipse*
*Officium exercet memorans, paretque jubendo,*
*Parendoque jubet; Nemo sine crimine sævo*
*Legiferum contemnat herum, cum libera flectit*
*Colla sibi, scriptumque aliis exercuit in se*
*Imperium; ex legis com[illegible]a licentia vitæ est*
*Plus meruit ratione ligatis, quam robore, sensus.*
*Gloria virtuti numquam fuit ulla coacta,*
*Dum generosa nimis, cum sponte per ardua durum*
*Flexit iter moderans, medio via tramite longam*
*Vincit in ambages, quamvis magis aspera gressu.*
*Blanditiis melius sanctis, & mente benignâ*
*Firmavit regnum dubiis Clementia fatis*
*Quam fortuna minax, & parva ignoscere culpæ*
*Sævitia indocilis. Quem quis timet odit, & horrens*
*Exosum periisse cupit. Amor abdita cœlo*
*Sceptra locat felix, odia infelicia mergunt*
*Alta prius. Rape tela manu, quate fulmine portas,*
*Hunc tutatur amor: per tot longo ordine montes*
*Ad caput hoc venies; lassata perennibus umbris*
*Non cupiet ratis atra virum, tot millia morti*

*Quum*

*Quem moritura negavit. Contra infelicia prompta*
*Arma manu spargens, odiis inglorius heros*
*Immoritur propriis, nec se tutum esse suorum*
*Sentit in auxiliis, objecta hostilibus armis,*
*Ante necem domini merito sibi morte parentat*
*Invisus regio, quia nempe exosior hoste est.*
*Ite viri ingenteis, exempla prioribus annis*
*Visa, pius reparate animis. Davidis amati*
*Facta Deo velut in speculo praeponite vestris.*
*Deliciae domini, quem gratia comsit ad unguem*
*Dia sibi, longa placidos aetate per annos*
*Traduxit vitam, meruitque ut sanguine tali*
*Sponderet subituram orbem, Stirps unica patris*
*Aetherei, cujus speratum in secula nomen*
*Erueret nocte aeterna data corpora letho:*
*Quamquam adeo sua saepe mala atque ingloria facta*
*Misceret divino operi; modo caede cruenta,*
*Turpis adulterij cumulans immania gesta.*
*Mox animum inflatum tumidos regalis in aestus*
*Indulgens sceptri, numerataque fortia letho*
*Corpora deponens; olli tamen optimus auctor*
*Promisit veniam, & promissam ante omnia servat.*
*Unde orsus numeris dec[illegible]a immortalia cantu*
*Inclusit sacro & mortalibus ardua misit.*
*Posteritas mirata virum, mirata p[illegible]am*
*Trans omne exemplum levat & super omnia servat*
*In caelum tollens tanti praeconia regis.*
*F[illegible], memorantque ardente juventus*
*D[illegible] praecepta sacri, praedictaque facta*
*C[illegible] laudantque fidem moderantis Olympum.*
*Quin juncta aeterno [illegible] mysteria [illegible]*
*Participat vates, Christi qui a [illegible]*

 Erupit

*Erupit tumulum, & socium se adsid[illegible]duxit*
*Nunc ubi perpetuo cantu, suavissim[illegible]*
*Insultat fidibus patres, s[illegible]q[illegible] piorum*
*Invitat saliens, cœ[illegible], & carmin[illegible] pingit.*
*Pone pij proceres a[illegible], l[illegible] agmina servant*
*Exercentque choros. M[illegible] de sanguine reg[illegible]*
*Abrami veteris, qui tantor[illegible]m ora n[illegible]um*
*Miratur gaudens, grem[illegible]mque a[illegible] pa[illegible] amic[illegible]*
*Non pauci ex aliis, quorum [illegible]icta[illegible] tenebant*
*Sceptra, aderunt reges oris, laudei que ci[illegible]nt*
*Germani imprimis aderunt, cum buccina plausu*
*Extremum vulgabit ovans per s[illegible]a carmen.*
*Agmina functorum tumulis exire[illegible]tis*
*Iussa, palam exuvias veteres, [illegible]tia miris*
*Corpora luminibus, repetent animasque reponent*
*Sedibus in priscis; ut totum a[illegible]sin[illegible]ant.*
*Sive adeo infernas homin[illegible], [illegible]que,*
*Germani proceres; tota gens [illegible]te* IEHOVAE
*Sacra colens, puris manibus: dux arduus inter*
*Fulgebit fratres, & clara l[illegible]e micabit*
*Saxoniæ pollens sceptro* FRIDERICVS *& ingens*
*Hassiadum Columen quondam dum fata sinebant*
*Indocilis timuisse aciem mucronis, & altâ*
*Mente potens, fortis contra vim utriusque* PHILIPPVS
*Ausi ambo heroes capita alta opponere monstro*
*Thaidos Hesperiæ, quos nec jam morte paratâ*
*Flectere trux potuit serpens, nec blanda veneno*
*Colla tumens facit: Tandem vicere superbum.*
*Ipse sacra circum cinget florentia lauru*
*Tempora, quem fassi dominum, meretricis avara*
*Deposuere jugum, Christus, lacrymasque beata*
*Absterget oculis dextra. & solabitur a[illegible]g[illegible]s*

Luce

Luce nova illustres. Plaudent decora alta [illegible],
Vestibus in niveis juvenes, circum Orgia lætis
[illegible] pedibus, nemo non oscula plenis
Libabit labris, atque amplectetur euntes.
[illegible] proceres, Stirps acceptissima cœlo,
Progenies divina virum, vosque omnis ad unum
Teutoniæ indigetum felix exercitus, isthuc
Festinate animis, studiisque incumbite leto,
Ta[illegible]rum alta sequi justum vestigia patrum.
Neu patriæ in gremium bellis hostilibus iras
Fundite; Concordi superum pietate parentem
Et colite & longo monstrate nepotibus ævo.
Vos adeo elegit queis relligionis avitæ
Instauraret opus, dudum interversa reducens
Orgia divini cultus purissima, quali
Prima fuere patrum post natum secula regem.
A[illegible] sitis domini, nil fæcis amaræ
Humanive doli miscenteis, dia reperta
Martyres excelsi constanti mente colebant,
Proque fide æterna, corpus posuere caducum
In mortem proni; nec vi gens flexilis ulla,
Nec revocanda dolis, ipso pia pectora lecto
Erexere viri, & cordato sanguine pœnas
Exstinxere suas. Paullatim at prodita mundi
In[illegible]tis [illegible], luxuque tyranno,
H[illegible] ad humana studia, atque Italo orbe potita
[illegible]it in i[illegible]ensum pall[illegible] mala bestia vires.
Do[illegible] & astra Deum, d[illegible]mque [illegible]it honorem,
[illegible] a[illegible]co inclinant hominum vestigia forti,
In[illegible]lumque pedem [illegible] omnia ad oscula flectens
Vidit cum omnipotens, & pœne arcana m[illegible]ra[illegible]us
Gurgite dum traheret pleno illatabile poclum,

Fregit

*Fregit ad extremum, nec turpia facta latere*
*Passus, agit lucem in mediam, & ridenda reducit.*
*Purpurei proceres, vestris decora alta* IEHOVAH
*Indulsit patriis purgati a fæcibus orbis,*
*Monstrifici poeli. Vos in vestigia patrum*
*Ire pij. Seros ubi jam via, parcere nulli*
*Nota, dies longis tandem consumserit annis,*
*Vos pater omnipotens ijsdem dabit æthera pennis*
*Nancisci, post fata hominum. Tum nobilis ales*
*Plausibus ætheréis circum, vos undique & inter*
*Innumeros vatum cœtus, læta Orgia ducam.*
*Vosque ultro agnoscens, & vobis agnitus ultrò,*
*Voce ciebo Deos, Cytharamque in carmina jungam*

FINIS TAURI

C. BARTHI

# ZODIACI VITÆ CHRISTIANÆ.

## LIBER III.

## QUI ET GEMINI.

ATQVE ea dum exercet Furias, Discordia, bello
*In capita alta virum, Tauri quam finximus æstu,*
*Cornuaque addidimus, forteisque in prælia nervos,*

*Vnde*

*Unde acies, vnde arma movet, unde i[illegible]struit [illegible],*
*[illegible]uineam[illegible]ue sitim populus ex[illegible], & e[illegible]*
*[illegible]it in[illegible], ut millia multa cruenta*
*[illegible] animos rumpant, non exspectata per umbras*
*[illegible]tur legio, ra[illegible]at[illegible]e in funera vitas,*
*[illegible] inter se[illegible] f[illegible]rus, vt tristis Enyus,*
*C[illegible]ant proceres, animique in bella virileis*
*L[illegible]t. Furit interea muliebre per orbem*
*Clade al[illegible] sexus & lu[illegible] c[illegible]dit in artem,*
*E[illegible]rvat[illegible]e hom[illegible] di[illegible] exosa retundit*
*[illegible]igium, larv[illegible]sque [illegible]re gaudet.*
*Nec bellorum ingens tantis [illegible]hatur in arma*
*Tempestas furijs, [illegible] tanta [illegible] recedit,*
*Quanto adeo humanos c[illegible]ndit fulmine mores*
*Perfida nobilitas luxus, arteisque fruendi*
*Mollitiæ titulis. Iacet acri, invictus, amore*
*[illegible]s, in obscœnis epulis & naufraga iactat*
*[illegible]a manu; tenera Chalybem mutare crocota*
*A[illegible]dus, instaurat geniali funera mensa,*
*Iusta sibi & virtuti eadem fecisse superbus,*
*[illegible]us indociles animos cessisse periclis*
*Fœmin[illegible]a infregit species plenissima fastus*
*Tota [illegible] vacua, atque alienis splendida plumis,*
*C[illegible]e a l[illegible]ninas vna in præcordia menteis*
*C[illegible]sisse dolo veneris geminosque puellos*
*M[illegible] Con[illegible]di plectenteis brachia collo,*
*[illegible]n [illegible]cordis furiæ; quæ, mollibus ulnis*
*[illegible]los [illegible]nplexa toros, o[illegible]t amando,*
*[illegible]atque nocens molli sub nomine virus,*
*De pop[illegible] arca[illegible] animi, & lethalia tingens*
*S[illegible] v[illegible]tali tabo. F[illegible]t aspera virtus*
*[illegible]dibus infesti luxus, [illegible]*

Molli-

*Mollicies & fœminæ fata pectore cura*
*Lauticiæ æternæ; quæ cum fan[illegible] virum quem,*
*Semper ab antiquis nova dat[illegible]a perennis in orbem*
*AEdificat studij. Non est escendere in armor*
*Fundicarens, vehit ipse undas, auget [illegible] fundum*
*Qui perit & lethi mucronem unn[illegible]rat.*
*Est species, medio pendens levi. [illegible]re, flammâ*
*Impos, humoque, undique atque aeris impete tangi.*
*Mo[illegible] variis vegetabilis a[illegible],*
*Ex [illegible] fata & sonitu alitis Auræ*
*Nec corpus, nec me[illegible], nec vita nec [illegible] utrumque*
*Si q[illegible] & cor[illegible], sed umbris*
*No[illegible] adsimilis, ce[illegible] ludunt*
*I[illegible] horre[illegible]n a[illegible]ris.*
*Flab[illegible]stans, [illegible] quo [illegible] tu ictur*
*Ex [illegible] astri[illegible] vicina [illegible]*
*A[illegible] tristis [illegible] da[illegible] Averno.*
*Nec [illegible]aperum, ne[illegible], perq[illegible] pollens*
*O[illegible], rima [illegible] abscons[illegible] ingloria mundi.*
*A[illegible] alys mem[illegible], sed longe in[illegible] collo;*
*In Libyæ qualis graditur torrentis arenis*
*Informis volucer, turpi qui vertice longè*
*Se[illegible]edit prono de corpore, lentus in armos,*
*Corriculoque volat, mixtamque, incertus utrimque*
*Belluæ avem gestat, nec in alite bellua falso est.*
*Tal[illegible] venit monstr[illegible]n, ingluvies obscœna, capaxque*
*Extendit, longo nec unquaquam gutture, omasum.*
*Al[illegible]n adeo fœ[illegible] horrendis promittit oloris*
*Prol[illegible] pe[illegible]tatur vultur[illegible]m obuncis.*
*Ex Ep[illegible]thais nocturna sororibus orbi*
*Vltima, quæ primum malecauto elapsa per auras*
*Custodi e[illegible]it, stolidumque in crimina duxit.*

Blanda

*[illegible] mali species flavis contortilis [illegible]*
*[illegible] extruxit opus, [illegible]que nitere*
*[illegible] rosea[illegible] tegit, in pr[illegible]*
*[illegible] radi[illegible]t, rubicundis [illegible]*
*[illegible] sanguineis ebur [illegible] guttis*
*[illegible] Gemmarum latè sparsura decorem*
*[illegible] facies, & lumina [illegible]at*
*[illegible] gratando mentem domitura furore.*
*[illegible] obscænum gravido deducta tumore*
*[illegible] & [illegible] flore, croc[illegible].*
*[illegible] virus gerit ore superbo,*
*[illegible] cum rapido ja[illegible]t liventia tabo.*
*[illegible]nt, quæcunque semel florentia tangunt*
*[illegible] suis. Turpi[illegible] sensim incensa veneno*
*[illegible]gua rapit sa[illegible]m, nec jam vitabilis intra*
*[illegible]a agit, pestis genus [illegible] medicabile morbi.*
*[illegible]et expugnant Veneres languentia membra,*
*[illegible] malo natura sata est. Qui vincitur illo*
*[illegible]sse nequit vires puer; omnis in una*
*C[illegible]ula est. longis patrimonia condita seclis*
*D[illegible]er exhausit juvenis, lanugine prima*
*[illegible]; incerta juxta face servida miscet*
*[illegible]ias ævi, & furibundum projicit, ætas.*
*[illegible] infelix premit vestigia floris*
*[illegible] sequitur, cum nondum firma furori*
*[illegible] tardo, Prudentia, curru.*
*[illegible] facinus tur[illegible]s undique V[illegible]is*
*[illegible]utus nec [illegible] contemnere gaudet,*
*[illegible] excuss[illegible]at juga. Prima ruentem*
*[illegible] & blandis [illegible] ad oscula dictis*
*[illegible]rum r[illegible] proxima [illegible]*
*[illegible] Luxuries, turpi [illegible] veterno.*

Illæc

*Illicet à vitiis, paullatim dul[illegible] exit*
*Captus in infelix letum, & si[illegible] p[illegible]*
*Servitium subit æternum, pot[illegible]que ven[illegible]o*
*E[illegible]urat [illegible] omne pr[illegible]cul. Te[illegible] ardor*
*Obcæcat [illegible], [illegible] p[illegible]ora [illegible],*
*Q[illegible] n[illegible] [illegible] e[illegible] [illegible]*
*[illegible] [illegible], [illegible] bra[illegible]s.*
*H[illegible] [illegible] fam[illegible]*
*A[illegible] laude d[illegible],*
*Virg[illegible] in L[illegible] d[illegible] flamma f[illegible]*
*Per juve[illegible] fulm[illegible] Marti,*
*Formidatus a[illegible] patri[illegible]*
*M[illegible] f[illegible],*
*Adsit in h[illegible] [illegible]*
*Virgine c[illegible] Troja f[illegible], Par[illegible]*
*Fixus, a[illegible]davit [illegible].*
*Nec passus p[illegible] arva [illegible]*
*C[illegible] victric[illegible], n[illegible] lamentabile [illegible],*
*Illo ab ex[illegible] Priamei[illegible]*
*Sanguine placaret [illegible], jugulo que d[illegible]*
*[illegible] qu[illegible], casto, morie[illegible] tumularet amore:.*
*Parte alia, [illegible]peris æquati nomina quondam*
*Magnanimi Heroes, genus insuperabile bello,*
*Exercent furtiva dolis variantibus a[illegible]a.*
*Ne referam in[illegible]for[illegible]s Iovis unius und[illegible]e formas,*
*Dardaniamque f[illegible] teretis per [illegible]la Ephebi,*
*Cy[illegible]que al[illegible], & Ledæ nu[illegible]lis ov[illegible]m,*
*Mi[illegible] figurarum [illegible], q[illegible]s [illegible]la vatum*
*Prisca, sacras [illegible] e cælare pote[illegible]*
*Litterulas, [illegible] Deos, humanaque claro*
*Fata [illegible]e p[illegible] speculo. Gens omnis a nori*
*Inclinat solium rerum, fasceisque superbo*

Subm[illegible]

*Submittit puero. Iuxta Bromiusque Venusque*
*Participant regnum, & sceptris alterna gubernant.*
*Quondam adeo lusum dicas, procul arte magistra*
*Luxuriem struxisse viris. Rude moribus ævum*
*Peccavit minus, & vitij stetit unius umbra:*
*Nunc quæcunque omni latuit via tempore frustrà*
*Eruitur studijs, orbemque in vulnera volvit.*
*Non aliter sapiens quam toto pectore turba*
*Incubat, indagans vero; cursque fatigat*
*Immortalem animum, ut lento se examine torquens.*
*Induat in Sophiæ semper florentis honorem.*
*Infelix ætas vitiorum in mille figuras*
*Exercet studium, &, nihil, ut moritura, relinquit*
*Rimatur sua damna, gravi invenienda dolore.*
*Impietas, non ulla malo caret orbita sensus.*
*Quà visum exercent, oculis volitantibus, arces*
*Ingenij flammæ, speciosa libidinis omnis*
*Obijcitur latere, & sese venientibus offert*
*Effigies. Non ulla vides impune Dearum*
*Corpora latigradûm; bullis splendentibus ingens*
*Fœmina, surripuit mentem, excußitque placendo:*
*Parte alia auriculas suavi modulamine mulcet*
*Seirenum lasciva cohors, nisi surda, saluti*
*Spes non ulla super. Multis Laertius Heros*
*Non persuasit opus, crebris ubi vestibus aureis*
*Obstruxit stupidas. Multi cum carmine dulci*
*Admisere necem, quos invidiosa fefellit*
*Temperies, jußitque suis occurrere fatis.*
*Quicquid odos liquidum suavi pro nectare ducens*
*Imbibit, in luxus trahit hoc compendia naris,*
*Exstimulatq; jocando hominem, retinetq; movendo.*
*Non adeo gustus superest, quin omne libido*

*Fuscarit, quod suave putes. Furit additus igni*
*Ignis Iacchiacus, Ceres est jurata Dionæ;*
*Omnibus inspirat virus geniale parentis*
*Impietas primi, morsu mors condita pomi est,*
*Accepitque sacrum ventura in secula nomen.*
*Quid dociles tactus molli palamine dicam?*
*Heic vero spatiis Cytherea incumbit apertis*
*Externatque viros, atque in muliebria membra*
*Insanire jubet. Latet his lethale venenum*
*Blanditiis, cum prima levi revoluta lacerto*
*Ambivit teres Eva hominem, cum savia fixit*
*Purpurea, & mentem miseri compressit amando.*
*Ille Dei effigiem tanto servare labore*
*Inclitus auctor adhuc, mutatur præpete vento*
*In studium lethi, atque aciem jugulandus adorat.*
*Prima rudi mundo fuerunt elementa veneni*
*Inconsulta satis. Nudam puer aptus in agro*
*Cognatam multa complevit prole puellam.*
*Mox didicere malum teneræ, faciesque nitentes*
*Admonuit pretij. Multis rosa sæpe petita*
*Vnguibus, abscessit populo. Custodia primum*
*Irritamentum grassandi præbuit, ex quo*
*Quod vetitum, sibi quisque cupit. Nec sana fuisse*
*Hæc tutela potest, ut amico flamine flamma*
*Erigitur, quamvis longum tremebunda vacillet,*
*Sic sata principio specie florente, Cupido*
*Subjicit ingenuum, paullum concussa, vigorem*
*Dumque negat, magis & cupit ipsa, oditque neganti*
*Credentem, rantatque alia ratione rogantis*
*Trux desiderium, ceu peccatura, puella.*
*Hæc ratio longis suasit vestigia primum*
*Condere tegminibus, totoque è corpore florem*

*Vestime*

*Ve[illegible]us occultum tenero subducere visu.*
*P[illegible] ea tum in t[illegible]ucis reperit sollertia pignus*
*Luxuriæ, vinxitque procos undantis amictus*
*Ma[illegible]s, ornata jubis, flavique metalli*
*Segminibus conspersa latus. Deinde ordine longo*
*[illegible]m exeruit stupratrix forma pudoris.*
*Donec ad extremum pertæsa libidinis, in se*
*[illegible] assum refugæ, furias, per stamina corpus*
*[illegible]uit muliebre, Venus. Volitabile lena*
*Sparsit opus scutulis ut per tot millia fila*
*Ar[illegible]tis oculi flagrantia membra viderent.*
*H[illegible] cassés straxere viris. Non tenuis Arachne*
*Talia subtili detexat stamina filo.*
*Impediunt acuuntque aciem. Ludentia fusi*
*Felicis ramenta vides, ludibria pulcri*
*Corporis: exscendit quærentia lumina fulgor*
*Splendentis, Parium marmor contrà, undique vultus.*
*Hæc quoque luxuriès jam spernit adultera. Nudas*
*Velibus, invidiæ sponte ex posuere papillas,*
*Transfugium infelix morum, monstratque tegendo,*
*Seque tegit monstrando palam, & fastidit utrumque.*
*Nec super adscensu locus est. Ruat ardua, Luxus,*
*Per loca, quæ præceps necquicquam adscendit, oportet.*
*Insidias pelago, fraudes terraque poloque*
*Exquirunt oculis; plumis ornata volucrum*
*Incedit virgo, & Cauris caput ardua jactat.*
*Non unum hoc animal; diverso ex orbe putabis*
*Compositum. Oceani portant miracula, frontes*
*Quinque, superstructæ sibimet. Nam circulus auro*
*Septimus erigitur, septenis imminet ingens*
*Crinis adoptivi cumulus; cirroque voluto*
*Mille per ambages, sublimem amplectitur arcum.*

 *Heic*

*Heic nivea fulgent contexto aenigmate bacca,*
*Artis opus varia. Trans alti littora Ponti*
*Solis ad occasum gemmas novus expolit Indus,*
*Vt picturato candore notabilis exstet*
*Purpura flammiferi lapidis; Satus aethere solo*
*Ales alit pennas, qui perpete fluctuat alâ,*
*Tangit humum numquam, nec in arbore considet ulla.*
*Hunc vaga per cœli spatium sine fine secuta*
*Deprendit tandem, spoliatque, superbia, plumis,*
*Fœmineum ut crinem tereti sociata catena*
*Spica ferat late, & soli commendet euntem.*
*Cujus in excelso furiata cacumine tela*
*Figat, amor, pueris, deliranteisque trucidet.*
*Proh quibus indocilem quaeras ambagibus illic*
*Delituisse hominem! Monstrosa volumine picto*
*Mille gerit species, fugit hanc humana, figuras.*
*Aurea quid memorem terra pugnante metalla*
*Excisa Scopulis & manibus usque petita,*
*Dædala ut ingenuum manus exarmare nitorem*
*Artifici possit curâ, cerne, improba saevi*
*Damna laboris, uti baccata monilia longè*
*Sculptori vendat pretium variabilis auri!*
*His aetas impensa hominis jactatur, & hujus*
*Ingeniosi adeo: ne quem de plebe rearis*
*Desipere in tantum. Strophio riget aureus umbo*
*Intertextus acu, tunica cava circulus auri*
*Subtilis explevit, vitro claudente remotus.*
*Aurea tota venit, faleris onerata puella,*
*Octanis, equitisque ultro se invitat in armos.*
*Nec vetus effigies, nec enim ipso in pectore mansit*
*Salvus homo. Interior latè se circite venter*
*Induit in mortem, ferroque adscitus hianti*

Frigi-

*Erigitur collis. Denum laxata recedunt*
*Antra pedum spacio. Tenue indumenta latentis*
*C[illegible]nunt corpus. Quæsita examine longo*
*M[illegible] procul fugiunt. Senas ex ordine possis*
*C[illegible]tis tantas velis abscondere pusas.*
*I[illegible] tamen, tenuis sibimet, gracilenta videtur,*
*S[illegible]bus possit latos contingere fines*
*F[illegible]antis tunicæ; tali sinuamine molem*
*Instat age[illegible]s; latis decedunt sponte plateis*
*Heroinæ omnes gravidæ. Venit amplior illa*
*Turma equitum, gremioque suo peregrina movetur.*
*Interea juvenes oculis flagrantibus hærent,*
*Absconsosque sinus per tanta volumina cernunt.*
*Invitant ultrò roseæ tenera oscula malæ,*
*Labra locuturis æqualia, circite parvo*
*Dissiliunt, linguamque natantem ostendere gaudent.*
*Flammigeri multa radiant vi lucis ocelli,*
*Astra, cupidineis influxibus vndique plena.*
*His scatebræ exsiliunt flammarum, & spicula jactant,*
*Blæsaque purpureo meditantur carmina nictu,*
*Deliciis paribus docto reddenda puello;*
*Nec superest animus, quin mala tumentia clarè*
*Per tenueis vestes oculo contrectet amanti.*
*Illa etenim argutâ nebulâ suffusa recedunt,*
*Vndique ne pateant & se tractanda propinent.*
*Sed quid ego informi vitia in contraria versu*
*Raptor, agens mecum Genium lectoris acuti?*
*Talia quottidie cœlo simulacra sereno*
*Affulgent miseris, animumque à mente reducunt,*
*Dum rapiunt oculos visuque in corda penetrant.*
*Exitiale virum virus. Fugite optima nisu*
*Purpurei juvenes, hac, hac latet anguis in herba.*

*Quo suavis magis effigies, quo dulcior exstat*
*Adspectus Veneris, mage eò malus, atque nocendo est.*
*Prima sed hæc morum, non maxima, dicta piorum*
*Corruptela mihi est; quæ gens muliebris in arma*
*Arma virum venit, & propriis hos cædit in armis.*
*Multi aciem pugnacem in semitecta tulerunt*
*Invicti simulacra hominem, dum visa figura*
*Luxuriam accendens. At cum propiore periclo*
*Intumuit clades, tum proni in vulnera, quo se*
*Quisque ruêre omnes. Primi cave femina sollers*
*Colloquij juvenis; lingua insuperabile virus*
*Innatat illecebris. Hoc primo perfida morsu*
*Adsciuit malum: jamque est natura venenum.*
*Mortifer est serum. Cum lamentabile pomum*
*Morderet princeps absentis sponsa mariti,*
*Omne labrum virus flagrantis sponse [illegible] est.*
*Hinc [illegible] traxere malum atque [illegible] dedêre,*
*Luxuries, nutrix vitiorum in corpore servat*
*Fœmineo regnum: diri arx fortissima regni*
*Lingua venit. Mille illa vibrat tormenta figuris*
*Ignea, & incauto mentem delapsa [illegible] animam*
*Exercet cladem. Nil hic sanctum neque pium ve est.*
*Si qua furit flammis & vero fervet amore,*
*Incendit renuentem etiam, & se invita penetrat.*
*Si qua uri simulat, superos atque astra fatigat*
*Iurando incassum districtis fœdera jura.*
*Nec sentire queas: folijs Auctumnus apricas*
*Exonerat silvas, rapidas mare versat arenas*
*Innumeras, circum stellis sacra undique cœli*
*Templa nitent. Non tot folijs Auctumnus apricas*
*Exonerat silvas, non tot mare versat arenas,*
*Non tot templa nitent ipsa alte flagrantis Olympi*

Scintil-

*Scintillant stellis, quot fœmina pectore gestat*
*Vita animos, lacrymasque & læti emblemata risus.*
*Nil fortuna potest; (mulier nisi quatenus illa est)*
*Hæc lacrimas lætis, hæc risum tristibus aptat*
*Temporibus; quacunque lubet prostrare figura*
*Nobilis, incassum plagium scrutaris opertum,*
*Hac celante latet Pedæ quod deprendere quibis*
*Non animo ante malum. Furias mortalibus istas*
*Corpore contectas hominum pater addidit; ex quo*
*Blandidicum in tetrum serpentem prima secuta est,*
*Traxit in exemplum fraudem, & se armavit ab illa.*
*His tranquilla malis adsciscunt secula pestem*
*Cum floret latis pax intemerabilis alis·*
*In vitium trahit ista lues non bella Gradivus*
*Mœsta ciens, tanto lassabit Porthmea catu,*
*Nocticolorem umbrarum Erebi per cæca fluenta*
*Vectorem, quantis venus ingeniosa maniplis*
*Præcipitat stygis retinendas manibus umbras,*
*Pauci adeo fugêre malum, dum flore juventas*
*Prima nitet viridi, succoque oppleta tumenti*
*Turget, & incassum premitur monitoribus, ætas.*
*Prima sacræ mandata luci, consortia vulgi*
*Evitent juvenes. Sed quot vitalibus ulli*
*Aula hodie Veneris? Non sunt pretij ullius intra*
*Quisque lares patrios. Ultro se in crimina vendunt*
*Gentibus externis, & per tot millia quærunt*
*Delicias mortis, genius atque electile leti.*
*Ausonias adijsse urbes, hanc isse per annos*
*Quinque sat est mulieris. Iamne aptissima portant*
*Germanis vitia, & nostris ambagibus ultro*
*Tabificum incesto adsciscunt imitamine morbum,*
*Stat pietas atavita procul, procul alia retundit*

 Facta

*Facta patrum, luxus. Primis mala floribus ætas*
*Præcipitat morituram animam, fes[t]inaque voti*
*Evolat in pestem, monitus exosa seniles.*
*Cura gerendarum flaccescit mascula rerum;*
*Invidiæ est virtus. Mollissima quisquis ocellis*
*Crimina præ se fert, Heroum nomen habebit.*
*Nec quid in austeris profit mansisse periclis*
*Ad patrios, cerno ipse, focos. Quos Cypria, ludens*
*Suavibus illecebris, non in sua retia traxit.*
*Sed gravitas Germana tenet: pro mollibus armis*
*Pocula magna movent, & toto gurgite Bacchum*
*Immittunt venis, veteris nova gloria pugnæ,*
*Sunt adeo gemini Venus & Semeleius Heros.*
*Alter atrox pluviis moreis subvolvere sanctos,*
*Altera sudificis ustura caloribus omneis*
*Ingeniorum agros, ne quid nisi mollia mustum*
*Atque austera palàm succrescant crimina seclo.*
*His pater est pontus, magno qui circite terras*
*Amplexus medias, cuncta in penetralia mittit*
*Flumineos rivos, quos cum ipse resorbeat omneis*
*Crescere se nescit, sed eadem constat abysso.*
*Non aliter fœcunda venus quo turbine molles*
*Excipiat [s]æculas, animosque libidine raptet,*
*Numquam plena silet poscendi prodiga luxus,*
*Invenit absumptis absumendi omnia caussas.*
*Quoq; indulgentem magis est sibi nacta ministrum*
*Plenior incumbit vitiis, nec pondera sentit*
*Nec spacium; æterno velut insaturabilis antro*
*Orcus hiat, prædamque sitit furiosius habendo.*
*Perque manus aliis alios levis adstruit æstus*
*Vnde novo nova materies oriatur amori.*
*Donec ad extremum solâ sedet effera mente,*

*Corpore*

*Corpore destituente graveis sine fine calores.*
*Sic quoque se numquam satiata libidine fassa est.*
*Defcivisse lui, concisis undique nervis*
*Regnat & in vacuo furiosa cadavere pestis.*
*Mille necant species, & vix edifcita seclis*
*Nomina morborum miserabile corpus, amando.*
*Grande nimis pretium teneræ dulcedinis, intra*
*Viscera tabificum virus succendit Erynnis*
*Intestina furens. Exesi ignobilis umbra*
*Corporis, incedit titubans, atque ossa fatigat*
*Relliquias hominis. Quondam generare creata*
*Per luxum impietas emulsit semina pœnis.*
*Tot sobolem ejecit pater imperfectus acerbam*
*Fragminibus, super ipse ut jam sibi vivere dicat.*
*O crudele genus vitii, quo crimine, luxus,*
*Eicis ex homine, atque, hominem, vitam ante trucidas?*
*Vt per non natam sobolem pater impius, & vix*
*Dimidium meritus nomen, periisse feratur.*
*Cara voluptatis nimium pretia exigit hærens*
*Ossibus exsuccis, deflocc atisque medullis*
*Invidia arcani sceleris. Nec crimine ab omni*
*Tot sequitur fera pœna modis: deliria sidens*
*Accersit cerebrum: super imperfecta retusos*
*Nox oculos natat, & nervos infringit inertes:*
*Dentibus expulsis fœdæ patuêre lacunæ,*
*Spinalisque fugit, tenuato rore, medulla.*
*Languescit capitis vigor, & nudantia longùm*
*Colla tremunt, stupidæque arent penetralibus aures.*
*Cor trepidum male sano ictu præcordia tundit,*
*Pulmonisque viæ lento spiramine obhærent,*
*Defessosque fleunt gemitus, suspiria quærunt,*
*Et latera exsangui producunt ilia pulsu,*

 *Exhau-*

*Exhaustosque lares vivo pro corpore monstrans.*
*Quæ secreta magis, majori languida morbo*
*Viscera conficiunt. Imus vestigia tentat*
*Infelix pedibus Venus & la[illegible]dosa fatigat*
*Cunctantes longum gressus soror. Illius omnes*
*Imperio succi fugiunt: squallentia vestit*
*Intus edens pumex combusto sanguine membra.*
*Scrutaturque tenax cœca internodia pestis,*
*Turpibus impediens gemmis, qua petra per artus*
*Labitur exsangueis, & fonte int[illegible]rmina dira*
*Subucitur radix [illegible] stramina saxi.*
*Mille aliæ species morborum [illegible]loria mactant*
*Corpora perpetuis confecta doloribus, in quæ*
*Immoderata venus rabiosa exercuit arma.*
*Præcipue infandum genus exitiabilis exest*
*Viscera capta lues, scabiem dixere medenteis*
*Gallam adeo, quia Francigenis Aragonia regna*
*Infestis quassare manu, via lurida morbi*
*Erupit primum atque Europæ addita Colono est.*
*Accersita quidem trans alta ignota biremis*
*Ingenio Hesperiæ, ne tot spacia æquoris ingens*
*Sponte maium nostra cælarent æthera Zonæ.*
*Has Indum merces, hæc præmia rettulit aurum.*
*Insatiabilibus furtis pallentis Iberi.*
*Secula luxerunt, & porro ante omnia luxus*
*Lugebunt pretium infandum, cum corpore pestis*
*Cœca latere uno, subito se tempore mille*
*Induit in Strages, accensaque viribus altis*
*Corpora raptavit diro fluitantia tabo,*
*Aeraque infecit liquidum. Lætum India risit*
*Europam domuisse venus. Victoria gemmis*
*H[illegible] ita Dea est: nec erat medicamen in herbis,*

*Surdus in arcanis, nec quidquam consulit artis*
*Augur, & infelix studium damnavit Apollo.*
*Donec ad extremum miserata inglori a leti*
*Instrumenta, Deûm pietas; dedit utile lignum*
*Ulceribus Stygiis: dio quod carmine dudum*
*Syphilus antiquis dedit invidiosa Poetis,*
*Multa premens veterum facunda nomina famâ.*
*Hæc pater, atque alia, innumeris numeroque modoque*
*Adjecit mala, suavivido quo pectora vellet*
*Absterrere malo, & rapidam retinere juventam.*
*Immemores contrà pueri, morbosque, hiemque*
*Contemnunt longam. Viridi brevis ardet in ævo*
*Pascere flos animum veneris, nec mollis Iacchi*
*Perlecebris. Geminæ pestes mortalia volvunt*
*Ebrietas studia, & geminata Diona Thyoneô.*
*Et velut argutam non est explere Dionam*
*Obsequiis, sic mentirapi semel orgia Bacchi*
*Concelebrare solens, nullis terretur ab illo*
*Sanctorum monitis, nec præsenti impete cladem.*
*Ecce senem invalidum, pueri qui mollis in æstus*
*Concedit, veteresque Pholi deducat amystis.*
*Ni natum in poculi prius insuperabilis antro*
*Turpe bibisse putat. Bruto trahit agmina rictu*
*Pallentis vini, seseque immergit in haustus.*
*Nec minus egregios Patrum stirps mascula mores*
*Ingeniosa sequi est. Iam vix pede lente figurat*
*Incertis titubans gradibus vestigia. felix*
*Marcipor urgenti spumantem flumine, magno*
*Exhaurit cratera animo [illegible]mque coronat.*
*Stat pater atque actum fortis miratus Ephebi*
*Oscula plena adigit, jamque & majoribus aptum*
*Officiis, docet exiguos sprevisse canales.*

*Ipse cadum quater eximia virtute secutus*
*Deplevit: natumque, Deos testatus, ovantem*
*Patrissare jubet. Corrupti semina sensus*
*Subuciunt animos, habilemque in facta paterni*
*Abripiunt sceleris sobolem. Paucißima castos*
*Spe plena reparavit avos, sed plurima turpeis*
*Insistit mores. Iter hac monstrante fatetur*
*Natura prostare, puer. Proh crimine quanto*
*Sponte ferox vitiis annos dare mentis egenos,*
*Exemplis praeceps soboles impellitur illuc*
*Unde redire nequit! vulgo vilißima res est*
*Ebrietas, jactatque atroci vincta veterno*
*Pectora; grande animo facinus gestare latenti,*
*Qui neget immani genium dissolvere poclo*
*Mense quater saltim, namque haec rarißima pompa est.*
*Omnia, quae vitiis servit mortalibus aetas*
*Exigit ad luxum, & moderante libidine torquet.*
*Qui caret optatis voto Diis instat inani,*
*Exambitque malum; si, quae sint vota, requiris*
*Instrumenta vides, insani atrocia leti,*
*Bis centum ille vovet pauper, cum ditis acervos*
*In venerem videt esse sacros, cum sponte patenteis*
*Ipse famens valvas meretricis obambulat albae.*
*Heic pereunt proceres; pertaesûm ingloria fata*
*Vulgaris leti, rapit huc lacrymabile votum.*
*Ille mero ex auro montes, maria aurea solus*
*Poßideat Phoenix, & utramque enaviget ursam:*
*Patricio sceleri regalem impendet honorem*
*Cumque opibus miserandam animam; discrimine tanto*
*Raptat agens venus, & longe repetita libido.*
*Hoc agit in facinus fallax dulcedine mira*
*Cyprius, infelix miscere incendia, fervor.*

*Prætextum dabit heic culpæ natura pudendæ,*
*Quanquam invisa nimis, sed habent simulamina larvæ,*
*Unde homines excusent fatum irreparabile vitæ,*
*Dum pereunt, cæcique excusando omnia perdunt.*
*At teretis Bacchi brutum, & rationis inane*
*Naturam pugnans contrà, mentemque Deosque,*
*Nec speciem, obsequium, potuit reperire pudoris.*
*Nec ratio nec cura valet producere quicquam*
*Membrarum aptum dici vel nomina nudo.*
*Hoc visi, quod vecors stat pro ratione, gravisque*
*Usus agit furiâ Bacchantem in crimina turbam.*
*Qua proceres periêre alti, qua lapsus ad Orcum*
*Heroum sanguis, via suavior illa videtur.*
*O cæcorum hominum gens inscitissima vitæ,*
*Adspicite insignem quondam, cui regia rerum*
*Sceptra, pater, regnisque animos dedit, optimus, aptos,*
*Adspicite infelicem hominem; cum proruta dudum*
*Semina cœlestis formæ, vix nomine solo*
*Sustineat, curisque impendere talibus ævum*
*Incestat vitæ, & sese moriturus in ignes*
*Præcipitat, pietas queis illum dia redemit*
*Sanguine purgatum proprio, & sua ad astra reduxit.*
*Ille volat nocteisque dieisque, interprete luxu,*
*Anquirit speciem infandam, & fulmina leti*
*Ancipitis. Viden' ingenti cum perditus haustu*
*Sensibus ejectus bacchatur, & apta Typhœus*
*Infernis ululat furiis, sacrataque Divûm*
*Nomina, ab obscœno pallens profulgurat ore.*
*Queisque solus rerum, mundi melioris origo,*
*Censetur, clemensque favet mortalibus Auctor,*
*Proiicit eluvie squallente, vocabula torrens*
*Tisiphonæ famulus. Gressu venit impia pestis*

*Instabili.*

*Instabili, spiratque immani carmine ructans*
*Sanguineas rixas, & inevitabile ferrum.*
*Multa a[illegible] insanis g[illegible] [illegible]ucia sensus*
*Suggerit ebrietas, nec in uno desurit oestro.*
*Pars etenim, potu postquam im[illegible]a a profundo*
*Exuit imperium mentis, corporis ignea tardi,*
*Humorisque sacri furiis turbata fatigant*
*Somnia t[illegible]bantia fornis,*
*I[illegible], a[illegible], pia verba furentis adoptat*
*Morbus, & vit[illegible] tamen pestiva piacla*
*P[illegible] amentatus; nec sic agno, est in illis,*
*Ridiculo humanos culpans examine motus.*
*Quondam in summis degens virtutibus ævum,*
*Cum gravis incumbat venis domitoris Iacchus,*
*Interea, rapiatque altum in diversa catonem,*
*Expurgatque sibi. Gens hoc, si crimina dicas*
*Scandalibus parvos gradibus dispescere mores,*
*Inter deliros melius sapit: impia quippe*
*Dicta fugit, quamvis ignarum in facta feratur*
*Interdum scelerum, quorum est Metanœa noverca.*
*Alterius postquam gravidum sapientia pectus*
*Subfugit, & vacuus regnat penetralibus Evan,*
*Solvit agens stimulis frontem, & jam cauta tot annos*
*In vitia exturbat spumantis acumina sensus.*
*Illicet ebullit dudum virtute sepulta*
*Mobilis affectus non uno, turba, tumultu.*
*Præcipitantque virum: fugit insuperabilis olim*
*Regula, & exstanteis animos indulget in æstus,*
*Immemor ipsa sui, penitis penetralibus exit*
*Præpete remigio custodis regia recti*
*Norma, nec à vitiis sese discernere novit.*
*Singula quæ cavit studiis constantibus Heros*

Indocili

*Indocili peccare gradu, nunc omnia plenis*
*Proiicit exſuviis, nudusque in crimina rumpit*
*Exſecrandum aditum. Non ulla nocentior exit*
*Gens hominum in pœnas, quam cum temerarius Evan*
*Pectora præceptis munita ſalubribus implet*
*Degeneri incubitu. Nil non fugere malorum*
*Sobrietas dum dia animos moderata tenebat.*
*Nil non ſponte patrant, cum lamentabilis œſtri*
*Afflatu movêre gradum, & victa arma dedêre.*
*Ecce animum invictum (quem non pulcerrima flexit*
*Forma Aſiæ, regumque altorum e ſanguine virgo,*
*Par ſuperis facie, cuncti lectißima mundi.)*
*Pellat Iuvenis; quondam cui gloria ſola*
*Suffecit, mundumque ſuis vincebat amicis.*
*Stat ſanie infandæ conſervatoris utrimque*
*Efferus, in cædemque ſui, clademque ſuorum.*
*Poſtquam atrox Semeles, victo puer orgia movit*
*Terrarum domitore, & ſeſe inglorius actis*
*Inferuit tantis maculam, furibunda tyrannus*
*Regna premit Macedum, ſervaq; in virgine flagrat.*
*Nec ſcelere ingrato veterum celeberrima regum*
*In delubra furit ſcerti, fax ebria, juſſu.*
*Gazam Aſiæ meretrix unâ cremat impia voce.*
*Tercentum annorum queis longa pepercit Enyo*
*Conſidunt cinere ſpolia, & ſecreta Deorum*
*Flamma manu obſcœnâ, vomitus & pocula propter*
*Contemerat. Iacet infelix meretricis in armis*
*Fataque regaleis Orientis habentia muros*
*Præcipitat, juvenis, atavoque ulciſcitur in ſe*
*Laidos imperio. Sic exegêre tyranni*
*A faſtu pœnas, & depreßêre frementem*
*Numina, dum patrios varo pede calcat honoreis,*

*Et Iovis in thalamo Iunoni crimina jactat*
*Invidiam. Erubuit talem venus aurea fratrem*
*Et consanguineo frangendum misit Iaccho.*
*Non paucos veterum monumenta æterna loquun*
*Quos simul ac luxu cepit distorta cupido*
*Ebrietasque ferox, mutato laudis amore*
*Corruerunt vitiis; scabie velut impia dirâ*
*Enervatque artus, mentesque incestat, & alti*
*Nobilitatem animi teneræ vaga flamma Dionæ.*
*Nil adeo nostri vidêre frequentius ævi*
*Indigenæ: vidêre viros, quos Martia claro*
*Gloria trans atavos diis nomine fortibus æquat,*
*Fœmineis Ciathis animas mersisse virileis.*
*Nec minus insigneis pacatæ laudibus artis*
*Colla dedisse mero. Via plurima curritur illuc*
*Vnde voluptatis nihil est haurire, peritque*
*Ambitione mali, procul à dulcedine, fervor.*
*Est aliud genus, ebrietas quod sæva cruentum*
*Exigit in ferrum, rapidosque irritat in æstus.*
*Instabilis furor his; uno mens effera verbo*
*Tollitur ex sese & vesanâ bile tumescit*
*Mollis, & adspectum, dum sobrius, ensis aperti*
*Horret; ubi pleno venæ tumuêre Lyæo,*
*Terribileis oculos flammato lumine versat,*
*Letum immane tuens. Illum levis alite vocis*
*Fortunam calcare facis. Deus esse videtur*
*Cum nocuisse potest. Sine cæde aut sanguine fuso*
*Nec dormire potest. Multi periêre latronis*
*Improviso adeo scelere, & crudelibus icti*
*Insidiis, claro necquicquam Marte potenteis.*
*Tale malum est, sævo cum flamma immanior igni*
*Additur horrentis Bacchi, & furialibus iris*

Exacuit

*Exacuit Megæra merum; cui turbidus anguis*
*Surgit in erectos,& crinis obambulat ora,*
*Ebrius arcano viru: videre minantem*
*Vrbibus infestis vateis,cum prodigus ævi*
*Arripuit frænum, & detorta repagula laxat*
*Vi vitiis,Bromius. Volat irrevocabilis axis*
*Aurigamque rapit,fracto temone,supinum.*
*Nec reditus datur inde retrò. Rota turbine magno*
*Voluitur in præceps, spaciumque cito impete perdit.*
*Multæ aliæ species scelerosi in crimina Bacchi*
*Exercent animos,quorum si dicere secla*
*Ordiar,immensum vesper componet olympum*
*Ante,queam tantos quam fando evolvere fluctus,*
*Queis vexatur homo,cum jam semel exiit illuc,*
*Absque dolore nequit Virtutis carmina mœstæ*
*Vnde sequi,vorsim, miser, & sua discere damna.*
*Cætera per latum gens nomine nobilis orbem*
*Raro abit in scelus hoc, aliis obnoxia culpis,*
*Candida Teutoniæ soboles, florentibus armis,*
*Artibus & placidæ juxta celeberrima pacis,*
*Dat Clypeum Bacchi furiis, exsensa bibendo*
*Ante diem properat cunctantes trudere Parcas.*
*Quid juvat ante alias virtutem extendere gentes*
*Fortificis factis, fideique tenacibus armis*
*Romanos,rerum Dominos, pepulisse potenti*
*Terrarum solio, atque Asiæ terrere latronem,*
*Insessorem avidum,mundi commune flagellum,*
*Vt pacem ingenti frustra pro munere poscat?*
*Quid docili ingenio,atque inventis artibus ultrà*
*Nomen habere foris? si vita domestica vini*
*Proluitur torrente retro? Pudor impia sistat*
*Pocula: ridemur populis, quos fulgidus umbrâ*

*Germani gladius tremefecerat ante lacerti.*
*Barbara,quæ,verâ procul à pietate, supinis*
*Errat in historiis & nulla Numina jactat,*
*Sobrietatis amans, gens, floreat? Apta Deorum*
*Legibus,& patrio long. stirps proxima Olympo*
*Subsidat Bacchi furiis? Proh crimine quanto*
*Exsuimus manes majorum,& jussa Tonantis.*
*Germanis data fata annis, numenque benignum*
*Asperat ebrietas. Vix tot rediisse per enseis*
*Tam noceant, quanto turbant fera pocula facta*
*Teutoniæ proceres. In quos stat lumine fixo*
*Atque,Europa, gemit, Christique Ecclesia pallens,*
*Hi vomitu infami,tot respirantia volvunt*
*Secum corda virûm: procul ausa immania versat*
*Parthus atrox,viruque linit livente sagittas.*
*Cum bello vireis laxum depascere sentit,*
*Quosque timet,nescire videt. Mox turbine pleno*
*Irruet in campos patriæ; dum fulmina Martis*
*Degeneri in vino maletuta silentia solvunt,*
*Stat vigilax pestis,totamque immanibus alis,*
*Explicat Europæ cladem: vix pauca piorum*
*Vota aciem opponunt,ne nox tristissima claudat*
*Restanteis oculos, pœnamque in secula ducat.*
*Et faciet tandem, malesanaque facta nepoti*
*Vlciscetur avum. Dudum trux flamma per astra*
*Invisum regnis crinem duxisse probatur.*
*Quanquam adeò infandis exsultent secula dudum*
*Flagitiis,nostram ut sudantia sidera noxam*
*Risibus obscœnis hominum pars plera, sequamur.*
*Immemor auctoris,qui fixas ordine luces*
*Mutaturum orbem, peregrinaque signa daturum*
*Præcecinit. Cum fine natans extrema sub imo*

Machina,

*Machina, plorabit mortalis vulnera culpa,*
*Saucia & ipsa malis, inversaque tempora volvet,*
*Sanguineisque notis fulgentia sidera pinget,*
*Tum genus humanum positis secedere longè*
*Imperat à vitiis: etenim breve volvere punctum*
*Supremi faciem Solis; mox flammeus, arcu*
*Sceptra sedens judex, omnem protendet in orbem.*
*Tum tumulos reserare potens tuba carmine claro*
*Excibit carie defuncta cadavera longâ,*
*Tabidaque exsolvet charorum membra sepulcris,*
*Gaudia ut æternos ineant habitanda per annos.*
*Nec minus infestos evoluens funere maneis*
*Perpetuâ ut pœna malefacta immania solvant.*
*Et vitam æternâ doleant in morte caducam.*
*Hos inter latis incedent undique campis*
*Quos malus infandæ Bacchus necis abstulit auctor.*
*Terrificis illos sectans ululatibus, olim*
*Numen, at hinc verâ facie sine fine videnda,*
*Ebrietas adigit Stygiæ in loca opaca, paludis,*
*Mille ciens rostro obscœno, altâ in nocte, doloreis.*
*Heic quicunque gravi fraterna in viscera poclo*
*Evomuit cladem, (spacio nisi versus in ipso*
*Retro abiit, pœnamque dedit formidine pœnæ,)*
*Patrati sceleris meritum grave sentiet in se.*
*Tum demum virgo gemmatis sobria pennis*
*Damnabit luxum infandum, atque in tartara pulsum*
*Compedibus numquam solvendis strenua nectet.*
*At vos, Teutogenæ, quorum in capita alta furenteis*
*Perlecebras hodie ante alios exercet Iacchus,*
*Vertite vulta retrò, tamdem date pectora tanto*
*Pura malo, vetereisque aliquando exscindite nævos;*
*Nemo hominum ex oriente Mæotidis usque paludeis*

*Sole, suas vestris potis æquiparare coronas.*
*Sive in bella vocet, longis laus debita seclis*
*Martia Germanis decora asserit, ipsaque quondam*
*Cæsareis titulis fortissima Gallia mactat*
*Nomine germanos fratrum, & sacra fœdera sancit.*
*Vincla parata sibi celsa in Capitolia nectunt*
*Arminii proceres, genus ad septem astra Trionum*
*Vindicias mundi servans: ut cætera Roma*
*Gens hominum imperio famulos submitteret armos,*
*Germani excelso excuterent de culmine rerum*
*Diis parileis Dominos. Aquilæ legionibus omen*
*Ausoniis, Francæ decorarent lilia parmæ,*
*Victorum gerit hæc bellax insignia victor,*
*Qua lubitum, retinere potens. Discordia quamvis*
*Intestina movens incendia, adederit ingens*
*Terrarum fulmen; tamen in gravitate senescit*
*Majestas antiqua sua: timor arduus hæret*
*Orbis, & audito pallescunt nomine Reges.*
*Quod si pacificis negem in artibus esse per omnem*
*Europamque Asiamque, Afrique binominis orbem*
*Aequiparandum animis populum, & successibus altæ*
*Tuisconis soboli, nitar ratione fideli.*
*Tot rata consiliis magnatum opera expedit æquis*
*Iustitia imperii Germani, ut nemo fateri*
*Nolit, ab externis veniens regionibus hospes,*
*Non vidisse aliam tanto fervore secutam*
*Iusque, piumque, nefasque exosam ante omnia, gentem.*
*Stat procul, & fidei nomen custodis adorat*
*Imperii, fortuna, potens: stricto ordine legeis*
*Cæsareas servant proceres, nec vindice pœna*
*Criminibus desunt, meritos nec præmia fallunt.*
*Compositæ studiis florentia brachia nectunt*

*Iustitiæ*

*Iustitiæ sacratus honos, & regia lentæ*
*Nobilitas iræ; clementia torquet habenas*
*Vimque equitum tenet, & spaciis juga mollibus infert.*
*Nec minus indociles surgit sapientia cartas,*
*Par superûm factus. Graiæ mysteria Peythûs*
*Romanos numeros, Aegypti arcana latentis,*
*Atque Arabum sacros movit Germania partus,*
*Sidereasque vias, radio scrutata potenti,*
*Exscripsit, mundumque omnem complexa notando est.*
*Ipsam adeo venerem dicendi ex Hellade Romam*
*Oenotrii duxere senes; ut Teutona proles*
*Vinceret in propriis Actæa penatibus arma,*
*Et latios plausus coram Cicerone referret.*
*Quin nova condendis monstrans compendia libris*
*Exsculpsit docili mirabile carmen in ære.*
*Ordine deducens positis elementa loquelis*
*Aerea, quæ tingens infuso sepia felle*
*Mille parit cartas momento temporis uno.*
*Vnde gravis quondam ducendæ in secula famæ*
*Vanescit labor; & nullo sudore parantur*
*Suffectura olim sero monumenta nepoti,*
*Tortilis ut certos dispostà vocabula versus*
*Aereaque æternæ rapit exemplaria vitæ*
*Orbis, & impositam mandat mansura papirum*
*Scripta sinu excipere, & claris dare condita signis.*
*Scita patrum nulla cognoscit tradita sumtu*
*Posteritas: accisa ævo, semesaque blattis,*
*Et squalore situs longi confecta, resurgunt*
*Nomina priscorum, jam longum oblita Deorum.*
*amque exemta fuga longævi temporis ut se*
*Omnia vertentis, recidivo flore renata,*
*Carmina restituunt, (auctorum [illegible] solemnitate miro,)*

 Notitiam

*Notitiam seclis elapsi protenus avi.*
*Nec centum (alatis manibus licet) omnia possint*
*Dicta sequi juvenes, scribendo, & tradere cartis,*
*Quæ labor unius pueri brevis exigit horæ.*
*Gens eadem certis distinctas pulsibus horas*
*Dividere arisonum celsa de turre poetam*
*Temporis edocuit. Commenti ignara vetustas*
*Divini, vario figens umbramina Soli,*
*Lineolis horas distinxit. agentibus orbem,*
*Quas, nisi qui propior, visu non posset apisci.*
*At melior vatem clarè germana loquentem*
*Fixit in excelsis, stirps, ædibus. Aenea certis*
*Machina declamat vicibus; quadrantibus horas*
*Digerit adscriptus; medioque à sole profecta,*
*In mediam noctem bis seno carmine sistit*
*Tempora circantem sonitum. Nec cura laboris*
*Exhausti meminit. Semel ut stetit ardua moles*
*Funibus emissam longis animam extrahit, & se*
*Structa semel nescit titubanti perdere pulsu.*
*Cætera quid longis opus est evoluere dictis.*
*Queis Germanus honos cælestis semina formæ*
*Testibus ingenii scriptis in secla probavit?*
*At ferus infestis contra præconia mundi*
*Gurgitibus Semeles pugnat puer, orgia versans.*
*Evigila tandem GEMINIS monitoribus, istic*
*Quos tabula exscripsit nitidâ, exhibuitq; videndos*
*BARTHIVS; interpres Domini, deterret amore*
*Infandi vitii, & patriam emendare laborat,*
*Deformem vultum pingens Venerisque Lyæique;*
*Haud aliter veterum quam gens acerrima morum*
*Ut fœdam ingluviem Bacchi defenderet urbe*
*Spartana, lætis ubi jam Dionysia festis*

*Instarent,*

*Instarent, servos adscita jussit in umbra*
*Ludere paulisper, libertatemque protervus*
*Assimilare animis; inter quos unus & alter*
*Ad vomitum poclis inter se bella moverent,*
*Donec ab ingenti propulsis flumine Bacchi*
*Sensibus, irruerent vitiis; pars impete bruto*
*Membra movens, furibundo incessu fœda rotaret;*
*Pars fœdo eloquio scelera ante incognita narrans,*
*Prostituensque suum, Baccho stupra*[illegible]*te, pudorem.*
*Quorum ubi victa mero vidissent pectora civeis,*
*Præcipuè infrmi & acerba monentibus atas.*
*Conciperent odium hæsurum, atque exempla videndo*
*Stultitiæ, procul à vinoso ardore manerent.*
*Da, pater, auspicium felix atque annue cœptis;*
*Europam atque Asiam & Libyæ sola nomine postquam*
*Germani proceres fidei vicêre tenaci,*
*Nec pietate minus; sese servilibus armis*
*Expediant luxus, itaque hic quoque jussa facessant.*

FINIS GEMINORUM.

C. Barthi

# ZODIACI VITÆ CHRISTIANÆ.

## Liber IV.

## QVI ET CANCER.

*Cerne retrò multâ flectentem brachia cancrum*
*Ambitione viæ; cœlestia sidera servat*
*Forma feræ, cujus fas est in imagine moreis,*
*Humanos pinxisse mihi: monitoris amici*
*Secula suscipiant studium, retroque supinos*
*Deflectant gressus, vatem ad meliora sequendo:*
*Quamquam adeo inprimis fas sit percellere vateis*
*Principiis, qui voce viam sacra ad astra paranteis*
*Sponte in decliveis ipsi reducre recursus,*
*Exemplisque trahunt pravis capitalia latè*
*Crimina, doctrinam cum turbida vita refutat.*
*Scilicet hæc prima est, vel primæ proxima Divûm*
*Pœna, subornatos castis evertere dictis*
*Doctoreis populi; qui tintinnabula fiant*
*Cassa animæ; prægnante ferox, gens pallida, voce,*
*Orba sacro sensu, vita turbante Beatos*
*Incassum monitus. Circum carecta vaganteis*
*Non aliter nocturna, Lupi, cum prælia tentant*
*Incautis gregibus, primo pastoris, & acris*
*Proruitur vigilis domus, imperfectaque jactu*

Excutiunt

*Excutiunt celeris custodis tela manipli:*
*Libera dein strages bacchatur ovilibus altis*
*Exercetque furens lanienam, atque atria vastat.*
*Tali adversa Deum proturbant numina primos*
*Custodes populorum, ubi jam satianda luela est*
*Cladibus, & vitiis ultrix Rhamnusia fervit.*
*Hoc Phrygis egregij mandavit fabula, pollens*
*Ingenij, seclis, cum verso incedere gressu*
*Mater anus tenerum cernens in littore cancrum,*
*Increpuit, jussitque gradu decurrere recto:*
*Excusat vitium exemplo monitricis, & in se*
*Virtutem culpa socij doctoris adoptat.*
*Duplex forma mali est, cum foedi criminis Auctor*
*Quod patrat turpe esse animo pugnante fatetur.*
*Nemo etenim agnati peccans latet aspera tectis*
*Arma, nec in facinus solus venit, intima restant*
*Iudicia, & quondam Metanoea futura fatigat.*
*Nempe quod in nobis depressae semina flammae*
*AEthereae exsiliunt, quamvis prohibere ruenteis*
*Vi nequeant animos, tamen adversando morantes.*
*Cum vero in facinus pronis mens sensibus horrens*
*Inclinat studium & se atros indulget in ausus,*
*Poena sequens juxta calcem premit ardua calce*
*Et Stygiae incumbunt serpenticomo ore sororeis.*
*Non alia ad lethum propior via, pallidus olim*
*Quam cum doctor agit peccando in crimina turbam.*
*Sed peccata modis distant variantia multis,*
*Et varia exercens humanae nomina vitae*
*Imperia, à primo usque effoetam, flore, senectam,*
*Principis ingenio patris, quem dia manebant*
*Iussa, procul pomo lethali absistere morsum.*
*At rudis & primo decepta cupidine Conjux,*

*Mandabat tristi depascere secula dente,*
*Fortunamque nepotum & adultæ stirpis honorem:*
*In vetitum ruit ille nefas, præcepsque longè*
*In mala præcipitat, sceleris faciem abstulit auctor.*
*Dumq; amat hunc, odio sese induit efferus in se,*
*Perpetuo, temerè fidem per secula nati,*
*Et præcepta patrum malesana sponte sequuntur,*
*Longe autem à castis victæ vi mentis abhorrent.*
*Sic venit assiduo perpes ceu fune catena*
*Criminis ad seros, patriâ de labe, nepoteis,*
*Perque manus atavæ vilescit opinio culpæ*
*Annorum spaciјs, & consuetudine tabens.*
*Donec honoratô necquicquam nomine mutat,*
*E vitioque malo virtus bona fingitur usu.*
*Dum quod quisque facit teneris trahit unguibus in se,*
*AEtatemque suam. sterilescit amica severo*
*Disciplina seni, pueri cum incerta moventeis*
*In vitium currunt vestigia, fulmine Lædæ.*
*Qualis in Elæa sonipes formosus arenâ*
*Cum primum spaciјs ostendit carcer apertis*
*Quadrupedem in cursum contemta repagula raptat.*
*Si tener ignaris laxata lupata magister*
*Amisit manibus, non jam temerarius audit*
*Clamantis monitus, donec rapidissimus axis*
*Dissilit, & frustra pugnantem excussit habenam,*
*Libertas quæsita fugæ. Iam pallidus actor*
*Contentus propriâ, vitam desperat & ultro*
*Donat equi. Prima est scelerosi culpa parentis*
*Qui facilem in ceram turpeis inducere formas*
*Exemplo sobolem incesto jubet. Aspera dudum*
*Stare loco tristeisque vias recludere morum,*
*Subtili patrios inquirit acumine nævos.*

Rectaque

*Factaque præ dictis soboles ingrata secuta est.*
*Ipsa quidem periens & pœnæ ob noxia, secum*
*Sed rapiens patrios, duplicato crimine maneis,*
*Queis datur ansa mali. Certe ratione salubri*
*Instituere olim proavi, pia pectora, nostri,*
*Infirmam sobolem, quamprimum verba loquentis*
*Percipere, auditasque valeret reddere voces*
*Balba ciens dulci verborum imitamina lingua,*
*A patrijs procul hospitijs, sacraria Divum*
*Incolere, & sanctis comites sese addere mystis,*
*Vt nil flexilibus nisi pura vocabula Christi*
*Canticaque audiret, & sectaretur in annis.*
*Vnde dati claustris pueri, dum pectore toto*
*Conciperent divinum animum, dum plena juventas*
*Luxuriat, tenuere rebellem in carcere flatum.*
*At cum maturis venissent fructibus anni*
*Constanteis gravitate sua, promsere severos*
*Doctoreis populis, fideique æquique tenaces.*
*Qui dum præpetibus florebat fervida pennis*
*Temnestas ævi, adfectus tenuere catenis*
*Vsque ad longævos servarunt nobile canos*
*Propositum. Et quamvis vitiosum irrepere claustris*
*Non pauci sensêre malum, quod perdita prorsus*
*Exercet natura homini. Tamen & bona felix*
*Pars studium tenuit, retulitque in fine coronam*
*Sepositam sanctis. Nunc cum fuga suaserit exlex*
*Antra odisse sacra, & sub libertatis amicæ*
*Suavibus induviis, tegere atque abscondere mentis*
*Effrenæ larvam, teritur pede regula duro*
*Sanctificis sacrata atavis, eversaque prorsus*
*Fundamenta quatit morum præposterus ordo.*
*At, si nil aliud, certe volucre prioreis*

Damna-

*Damnatam studiis dijs, avertere pubem,*
*Conciliis pravorum hominum. Nec nuda Voluntas.*
*Nunc superest: Primo lactentis cura sub ævo*
*Quæstibus invigilat. Vix est millesima Vulgi*
*Pars, quæ sepositis curet divina caducis*
*Scruteturque Deum. Fax jam confecta senectæ*
*Exanguisque tremor, moribunda cadaveris umbra*
*Incipit ad sacras animum deflectere curas.*
*Cumque adeo extremæ tangunt spatia extima metæ*
*Tum demum didicêre viam. Pars pleraque cursu*
*Labitur in medio, vitamque orsura, relinquit.*
*Hinc fatale malum primis adolescit ab annis*
*Augmentumque trahit; neglectaque numina vitam*
*Destituunt pœnis, labor & furiosa cupido*
*Diversos rapuêre animos. Cerne ultima plebis*
*Nomina projectæ. Quam primum sordidus infans*
*Ad patrios scit adire focos, mammaque relicta*
*Gingiva teneros farctus mordere dolenti*
*Incipit; edoctus paullum lallare beati*
*Codicis è dictis, jam sat pius esse putatur,*
*Tertia si reddit languente vocabula linguâ,*
*Nescius esse aliquid, nisi quod simulantia cultus*
*Verba videt patrios; mox, ne sine fruge, senescat,*
*Abditur artifici quæstus. Pietate quod exstat*
*Spernitur officium, lucrosa indagine multa*
*Exquirit pater ante, & nato munia monstrat,*
*Hortaturque, premat certo pede. Regula dudum*
*Sancta cadit, manibusque suis se quærere victum,*
*Autumat infelix, Hæc illa est concio Christi,*
*Scilicet, excultos primum pietate severâ*
*Liba velut, pueros domino sacrare, futuram*
*Spem populi, pro se quemque, ut rata munia poscent.*

Osten-

*Ostendunt modo divinis altaribus ægri*
*Progeniem patres, sed ceu pater hisce nequiret*
*Omnipotens victum facili præbêre labore,*
*Agnato miseris, male visam protinus illuc*
*Abripiunt secum, per fas ubi multa nefasque*
*Congerat, & curis duplex onus, ante molestum,*
*Ipsa sibi pariat. Cœlestia quærite primum*
*O miseri sudorum homines. Quæ quæritis istic,*
*Per maria & terras vestros fugientia nisus*
*Vltro aderunt, minuentque infandum sponte laborem*
*Deficiat quondam, atque inopes, Ceres invida aristas*
*Destituat granis, & flumina victa bibentum*
*Arescant numero, vosque exitialis egente is*
*Deprendat lethi fortuna miserrima. Cœlo*
*Tollite tabenteis oculos; Quis mille volucrum*
*Educat è nidis genera, & volitantia pascit?*
*Vosne adeo, diæ pertæsus originis, aufert*
*Spiritus, ut tali concedere malit amore*
*Bestiolæ, factoris Heri? Nulla æthere magno*
*Non se credit ei, volucris, quin manè canoris*
*Insistat numeris, nec paupertate futurâ*
*Angitur ulla animi, sed læto concita saltu*
*Obvia ubique capit gratanti pabula mente,*
*Quotidiana legens pellendo nata dolori*
*Grana famis. Cùm se Hesperias sol pronus in undas*
*Abstulit à terris, placido silet abdita somno,*
*Crastina non metuens pleno jejunia ventre.*
*Scilicet omnipotens numquam quia cura volanteis*
*Destituit victu, securis mentibus instant*
*Carpere lætificos soleis, & ducere vitam*
*Cantibus in lepidis, ubicunque silentia noctis*
*Deprendunt hilares, aquata cubilia ponunt.*

*Solus homo incassum magno cognatus honori*
*Auctoris, fœdâ curis, se immergat opacis*
*Ambitione animi, dum pallida vulta figurat*
*Ventris ad obsequium, & jejunia quærit edendo,*
*Quod si alia infandæ stirps est data morbida labi*
*Vt metuas mortalis homo, ne frigore acuto*
*Intectus pereas, nimio vel flamma calore*
*Torreat expositum radijs, hinc vestis in usum*
*Corradis quodcunque vales, cerne obsita mille*
*Camporum spacia, ut pictis, se floribus ultrò*
*Induerint, cum vere novo, clemente Favoni*
*Flamina subijciat varios Natura colores*
*Vestibus intextis. Quis summo in culmine rerum*
*Tam formosa suis induxit stamina membris,*
*Qualibus exsurgunt comto viridaria cultu?*
*Nulla tamen viola est, nulla est rosa, vestis honore*
*Quæ tumeat, ducatve in versicoloria fusos*
*Fila, procul curis spacioso florida campo*
*Expediunt decoræ, & picto se fulgure pascunt.*
*Quod si adeo omnipotens brevis ævi & inutile fœnum*
*Vestierit tanta genialis imagine luxus,*
*Tene, ignave, putas nudum & vice vestis egentem*
*Deseret; & radijs populandum Hyperionis, aut vi*
*Frigoris exponet gelidæ documenta caducis*
*En, cape, de rebus; volucris spacio unius anni*
*Crebra perit, senium dat hyems, cunabula Aprilis.*
*At rosa dum loqueris fuit, & fugitiva nitoris*
*Amittit tanti parvo vestigia sensu.*
*Tu genitus cum patre Deo sine fine perenneis*
*Astra super florere dies: breve debilis ævi*
*Angustias curis spacium mortalibus in se,*
*Fœtaque mille malis alijs tibi tempora farcis.*

*Ab pudeat scelerum. Sed pravi cura parentis*
*Insevit vulgò teneræ sua crimina proli.*
*Cum saturi, cœlum esse putant; cum fervida ventri*
*Bella movet stomachus, crudo gens nata labori,*
*Omnia posse suis manibus se credit egentem.*
*At procerum soboles, tali quos liberat auctor*
*Tristicia curarum, à prima lacte parentis*
*Delicias ducunt vitæ. Cum florida vestis*
*Serpserit malis, generoso plena tumultu*
*Corda movent, patrÿ quæ sunt vestigia cursus.*
*Disciplina fugit, cujus pro peste nefanda*
*Exosi nomen totâ vi mentis abhorrent.*
*Degenerum parere rati. Stant ponè parenteis*
*Hortantes alÿ, pars contrà exempla suorum*
*Præceptis adsunt morum, sine fruge patrandi*
*Verba cient surdis incessum docta susurris,*
*Quippe trahunt exempla retrò, & cata dicta resignant.*
*Nobilitas quondam, dum fata Deusque sinebant,*
*Non generis lenti jactare vocabula pollens*
*Errabat longe à majorum nomine magno*
*Fumantem intentans tædam clarentibus ausis.*
*Sed virtute sacrâ mentem flammata, potentem*
*Intrepidorum animorum, in aperta pericla princeps*
*Raptabat titulos & avitæ laudis honorem.*
*Stabat, & audaces longè florente coronâ*
*Invitabat, agens æternos, Gloria, plausus.*
*Non spacia ardenteis tenuerunt grandia campi*
*Non fluvÿ rupesve, aut spinis aspera, limes,*
*Intervalla notans, ærata mœnia turris*
*Transvolat, & ludum, generosa, cacumine pignus*
*Deripit aerio, virtus. Quà mascula Pallas*
*Et Bellona vocant, patriÿque Gradivus in armis*

Nobi-

*Nobilitas animi sequitur, dum fortia patrum*
*Gesta premat, decorisque sui sese efferat auctrix.*
*Artibus his quondam stirpes sata nomina magna*
*Extulerunt seclis, Si quà se fortior hæres*
*AEquavit patrus, bello vel pace, coronis,*
*Et dedit assimilem parili virtute, nepotem,*
*Huic sacer incumbit genitor, cadat hujus oportet*
*Progenie, turpique infandum semine monstret*
*Matris adulterium, nisi forti sanguine cretus*
*Naturam sequitur studijs. Imbellia numquam*
*Secula progenerat generosi dia Camilli*
*Progenies. Aquilæ numquam Iovis arma reponunt,*
*Vt tenui in thalamo pariant sine bile columbas:*
*Nobilitas sequitur stirpem. Cum pictus adulter*
*Corrupit meliorem uterum, Libys altera quærit*
*Connubia, & mistos Leo dedignatur amoreis.*
*Illa quidem rectè censendi regula præstat*
*Perpetuum officium, nisi prima ex indole nati*
*Excutiant exempla genus, sata semina longa*
*Virtutis stimulis vitiis corrumpit, & extra*
*Stirpem abigit teneri male cauta eductio nati.*
*Ille nihil patriis dignum nisi moribus & se*
*Audiat, ingenteis titulos qui spirat avorum,*
*Spemque ministrantem generosis flatibus instans*
*Quottidie exacuit. Quod si temeraria fœdam*
*Monstrarit fortuna aciem, revolutaque magnis*
*Fræna animis laxet, furit hoc ardentior omne*
*In scelus, & vitiis disjecta repagula laxat*
*Quo stirps cl ira na us. Patrio de semine discors*
*Hæret in obse ium atque pericla, Audacia, temnit.*
*Quam cupias sensim prædæ devertere amore*
*Et ratione novâ mores docuisse vagandi,*

*Multi-*

*Multimodis, Aquilam, prius exercere necesse est,*
*Nec dare vim spacijs nec stinguere fulmen habenis,*
*Præcipiti donec paullatim exuta furore*
*Compositis animos discat compescere magni*
*Pectoris illecebris, & naturalis amorem*
*Flectere virtutis suasu rationis herili.*
*Nam genus, & proavos quisquis sine moribus auget*
*Magnanimo ingenio, patitur sine mente ferocis*
*Barbariæ imperium, quæ ni teneatur, in igneis*
*Exsiliat gravidos, sibi prima nocentior æstu.*
*Hinc data caussa malo est, nostro quod nobilis ævo*
*Compositos moreis, frænatique ignis acumen*
*Progenies, luxu certet temerare magistro,*
*Et vitium enorme, præ plebe, Cupidine verset.*
*Nasci aliquem fatis esse putant. Rarissimus exit*
*In docileis cultus, naturamque arte reducit*
*In numeros. Pars magna, patres, persuasio quorum*
*Est eadem, sequitur, quaque hos præcedere cernunt*
*Pennigeris volitant gradibus: vigesimus annus*
*Exuit imperium. Campo tum liber aperto*
*Spiritus indulget spacijs, quà blanda voluptas*
*Aut Mavortis amor, vel Bacchi, raptat inanem*
*Pectoris, & solo torquentem cuncta fatigat*
*Impete, decurso donec sanescere flore*
*Incipiat, feris stirpi vix utilis annis.*
*Interea florem perculsæ ætatis acerbum*
*Ante diem fœdo depascitur igne cupido,*
*Exsuccamque animam, & solum retinentia nomen*
*Membra movet, similis fugitivæ carbasus umbræ.*
*Spernitur, & vulgò coram accensetur inani,*
*Quisquis degeneri non sponte Libidinis æstro*
*Subijcitur servus. Nolentem cætera cogit*

*Natio, & infandum mos est pro crimine crimen.*
*Exsuitur virtutis amor, nocteisque dieisque*
*Ebrietas inamana coquit, ructantia sanguen*
*Verba volant, multumque putant de fortibus armis*
*Participare logos. Iam verò imbellibus ingens*
*Credere litterulis genus, & fumosa parentum*
*Comere signa aliquem Sophiæ florentis honore*
*Desipere est miseris. Sic corporis ægra voluptas*
*Obtundit mentem, & rationis acumina mersat.*
*Non aliter fœdâ quam cum rubigine ferrum*
*Squallor edit, forteisque situs depascitur enseis.*
*Corruit in vitium longos arrosa per annos*
*Materies, frustraque fabri labor arma polibit*
*Quæ flavum in cinerem caries æterna recepit.*
*Sic cum victa semel, longo mens tempore traxit*
*Naturam vitij de consuetudine crebrâ,*
*Frustra experta cadit Sophia, & monitoris acuti*
*Flaccescunt studia, effectu delusa supino.*
*Quicquid in evectâ servandum ætate putabis*
*In teneros animos instilles sæpe necesse est.*
*Prodigus in curas, stricti monitoris Ocellus*
*Non delenda premit morum signacula parvi*
*In mentem pueri, quæ cum subjecta per annos*
*Creverunt secum, atque obstantia turbine denso*
*Reppullerunt vitia, in naturam vertilis usus*
*Mutat & innatis virtutem adfectibus aptat.*
*Nobilitas hinc vera venit, cum pectore constans*
*Intrepido virtutis amor, Bacchantia circum*
*Iure suo felix contemnit crimina, ridens*
*Illecebras Heroo animo; vulgaria quarum*
*Corpora agi studijs excelsa despicit arce.*
*Seque suo servat decori, dum semita multo*

*Trita*

*Trita atavo vocat ingenti clamore nepotem*
*Magnanimum sursum, & cognata reponit in astra.*
*Hic lapis est verax, hæc norma sacerrima laudis*
*Ad quam se probat &, mens nobilis, orgia sistit*
*Instabilis vitæ, plebeium emensa laborem.*
*Ausa diem contra claros extollere vultus*
*Atque oculum certo radios de sole ferentem*
*Lumine. Non aliter quam cum Iovis ales opacis*
*Protulit è nidis sobolem, atque Hyperionis alti*
*Prostituit flammæ: Quæ connirentibus ignem*
*Aversata oculis, nec claro lumine Solem*
*Combibit adversum, repulitque superstite visu,*
*Abjicitur proles, nec fulmine digna ferendo est.*
*At flammantem oculum phœbi constantibus urgens*
*Intuitu radiis, nec quicquam ad Sideris alti*
*Connictans aciem, genus armipotentis Olympo*
*Servatur volucris, sceptrumque in secula servat*
*Alituum, patrio, succedens denique regno:*
*Sic claram contra virtutem attollere vultum*
*Nobilis, & nusquam visu peccare repulso*
*Mens generosorum stirpem testatur avorum.*
*Hanc fortuna timet; rapido rota secula passu*
*Præcipitans, commune hominum numenque timorque*
*Præterit hanc constantem animi, & data jura resignat*
*Orbis in imperium. Quisquis virtutis amorem*
*Imbibit à teneris, & fortem effecit habendo,*
*Naturæque insevit, & alta in pectora traxit,*
*Sanguinis in speciem, contra fera fata trucesque*
*Adfectûm Furias, & operta tela Dionæ*
*Erigit excelsum caput, & se immiscet Olympo,*
*Participans multum cognato à numine vitæ*
*Tranquillæ in sese, quam nec fera desidepalpo*

*Subruat, hostili nec Fors conamine vexet.*
*Divitias habet ille suas in pectore privo*
*Nec cupit alterius pretij ditescere luxu,*
*Orbe suo constans, intra se fortis amica*
*Absolvit numeros, externaque prælia ridet*
*Pace sua intrepidus. Non illum sæva tumultu*
*Præcipiti, excutiunt præfixo fulmina recto,*
*Non grave propositum blandissima fulgura mutant:*
*Contentus pietate suâ, cum numinis irâ*
*Cuncta adversa cavet, cum Divûm cuncta favore*
*Promittit bona dona sibi. Si turbidus imber*
*Obstiterit nebulis, & mœsta nubila lucis,*
*Scit dominum: patrios paullum suspendere risus,*
*Vt probet adversis constantia pectora rebus.*
*Tempestate nitens placida, cæloque serena*
*Nil labat illecebris, oblatis mente benignâ*
*Vtitur, & blando Seirenes in æquore vitat.*
*Non congestor opum, non parcâ mente reducens*
*Quæ nolente manu quondam dare jussus egenti est*
*Sed rude præveniens duplicanti pectore donum.*
*Dulcior affatu, nec structa fronte severus*
*Marmorei Zenonis homo, cui porticus impos*
*Vivendi, astrinxit morientum moribus orbem.*
*Ah miseri qui cum læto risêre favore*
*Numina, perpetuo livore avertere certant*
*Invidiâ in semet furiosi, prospera fata;*
*In lacrimis tristeis ducentes pectore Soleis*
*Deposito curis petulandi, & segrege planctu.*
*Omnibus hæc norma est divum viventibus apta*
*Munere, qui uni alicui. Sed vos, ô Secla parentum,*
*Sæpius incautos virtute avertitis ausus*
*Primævæ sobolis. Ante omnia discat amare*

A tene-

*A teneres stirps chara Deum. Pietatis in omnem*
*Vtilis est casum, Genius, quem pectore puro*
*Gestat homo æterna promißio debita vitæ*
*Non fallet breve tempus, in hoc quod vivitur orbe.*
*Sed tamen & pietas hujus quoque præmia servat*
*Præpetis, & nullo constantis nomine vitæ,*
*Quis genus Abrami, cujus cognomine gaudet*
*Quisquis amat dominum, concisum in paupere vultu*
*Vidit egêre Dei? Quicquid fortuna minetur,*
*Omnia placati præstat præsentia Christi.*
*Nec cui parva data est utendi copia victus*
*Vilior est superis, quam queis granaria fervent*
*Vberibus cumulis. Pars hæc creberrima copi*
*Decoquit in vita promissæ regna salutis,*
*Dum struibus magnis animo se mancipat ægro,*
*Servitium infelix nummi splendentis in arcâ,*
*Cum quo clausa jacet obscœnâ ærugine, propter*
*Argentum, mens cæca sui. Qui libera colla*
*Subjecit numquam studio deceptus habendi,*
*Est dominus rerum, nec in has sua vota resolvit*
*Degeneri pallens animo. stultißimus Hercle est*
*Luxus avaritiæ, quæsita reponere nullis*
*Vsibus, æternoque incumbere deinde labore*
*Quærendis alijs, quibus ut fera cura polita est*
*Tangere crimen habet sed condita servat ab usu.*
*Hic felix superis & se rationis amico est*
*Qui circumscribit fœcundi nomina quæstus*
*Dum minimum peragit vitæ, vitalibus usus*
*Imperijs placidi. Patet hæc data copia cuique*
*Muneribus divum, nec opus pallente timore*
*Sollicitæ nec habet spe mentis, imagine falsâ,*
*Dum putat his, quæ non apta est, velut optat, egêre.*

*Omnia habet, paucis qui stat contentus, & in se*
*Imperium servat rerum, quas conditor almus*
*Hunc solum in finem, queat ut mortalis amico*
*Vti animo indulsit. Stultißima caussa laborum est*
*Congerere, aeternis veluti retinenda catenis,*
*Quae levis elapso vivendi tempore, tanquam*
*Non sua, projiciet, & juri cedet iniqui*
*Haeredis dominus. Per secula longa resistit*
*Vsibus, & serâ decumbit morte caduci*
*Materies ditis, qui tanquam hoc illa creata*
*Fine foret, sibi perpetuum ut serviret in aevum*
*Corradit stolidus. Cum jam dum ea mille jacentis*
*Exuerit dominos, sed & hunc malè tempore curto*
*Deturbabit, & haeredis gradietur in usum,*
*Donec & ipsa olim longorum ambage comesa*
*Annorum patrium in nihil, ut consumta, recedet.*
*Felix, quisquis opum perspexit origine mores*
*Et finem agnovit. Non parca mente tenendo*
*Subjiciens flammam vitiis malesanus habendi,*
*Nec vaga luxuriae consulta secutus abusu.*
*In medio est virtus. Hanc ô agnoscite quisquis*
*In sobolem pater est, nec dum deliria longè*
*Sectantem recto turbatis tramite prolem,*
*Induite in curas vitae, quae perfida radix*
*Vsa bonâ specie genus omne volubilis annis*
*Intrudit vitij. Sincero corde parentem*
*Qui didicit dominum, coeli terraeque marisque*
*Omnipotentem animam, & meminit se certa salutis*
*AEternae promissa animo constante tenere,*
*Transibit vitam tanquam peregrinus amore*
*Perpetuae miseram, procul alta mente remotus*
*A stupido quaestu & fatente libidine nummi.*

*A ten-*

*A teneris hoc scire sacrum est: Dum fervida currit*
*Orbe rota in primo, lapidem sapiente figurat*
*Mente notans figulus, formamque effingit in illam*
*Quam servatura est sua dum in fragmenta recedet.*
*Dum tenerum in lapidem cernit concrescere limum*
*Aptat. agens ansas, uterumque à corpore ducit.*
*Cum jam sole lutum siccante induruit, omnem*
*Deperdas operam, fingendæ deditus ollæ,*
*Diffringasque prius, quam se patiatur in orbem*
*Materies alium redigi, & nova ducere signa.*
*Non alia est species pueri figentis ab ipsa*
*Matre pedem & certo firmi in vestigia nisu.*
*Cereus in placitum crimen, dum mobilis ætas,*
*Ferreus in facinus, cum vireis sumsit ab ævo*
*Omnia sed longos turbantia fulmina moreis,*
*Ætatis vacuæ, primis impressa sub annis*
*Exemptura venit pietas. Hinc maximus auctor*
*Salvificæ vitæ, primo sub flore virendi.*
*Ad sese pueros cupienti mente vocavit,*
*Imposuitque manus teneris, frustraque severos*
*Discipulos gravis increpuit, cum fronte magistra*
*Ducite, ait teneram nostra ad sacraria prolem*
*His etenim, nostris animo qui simplice credunt*
*Obsequiis casti, præbentque vocatibus aureis,*
*Regna mea adsigno, hos æterna in gaudia sisto.*
*Horum adeo genij coram omnipotentis amore*
*Subducti placido, cernunt genitoris honorem*
*Quottidie in cœlo, & sanctissima vulta tuentur.*
*Horum animos parvum exemplis percellere morum*
*Lethale est facinus, quod ego stygialibus iris*
*Persequar, & pœnis æterna in secula sistam.*
*Intremuére viri, & doctrinam hanc rite secuti*

*Agminibus magnis pueros duxêre sacrandos:*
*Sed mala posteritas, studijs inimica beatis*
*Corrupit monitus sanctorum interprete patrum*
*Imperio erroris. Hinc cum seclusa recessit*
*Libertate sacra, lege incestata, Iuventus,*
*Humanorum operum est, nova vis erupit ab orco*
*Infesti sceleris, claustrisque absconsa fenestram*
*Criminibus sine teste dedit, summota furenti*
*A populo, solique licentia, tradita culpæ,*
*Arbitrium indulsit sibimet, perversaque sensim*
*Peccandi duxit in succum & sanguen amorem.*
*Hinc sata tot facies erupit ad æthera ficta.*
*Vultibus obscœnis pietatis, & antra subivit*
*Luxuriæ; quæ cura tamen præsignis avorum*
*Struxerat; ut procul à curis mortalibus in se*
*Divinamque animam secederet, alta professus*
*Remantem domini monachus mysteria, pollens*
*Hæc populus reserare olim, & dare clara sub auras.*
*At malus incubuit furiis letalibus Orcus*
*Avertitque viâ primos ante omnia sensim*
*Doctoreis. Hinc data novis compendia noxis*
*Dirupere sacra nexum virtutis, & iste*
*Crinibus in tonsis summam pietatis adultæ*
*Deposuisse sagax, circumraso orbe comarum.*
*Ambulat in facinus; Larvali pallidus alter*
*Invigilat macie curis, vitamque resignat*
*Morte nova, quæritque sequentem ponè ruinam:*
*Cætera gens vel veste vagâ, tenuive crocotâ*
*Laxat se vitijs, obscuraque tendit ad umbras*
*Abstinuere cibis alij, dataque usibus ultro*
*Aversi humanis animantia, transmare quærunt*
*Delicias, tristique animo, membrisque peresis.*

*Pars etiam in vano contemtu quærit habendi*
*Divitias, curisque volat liberrima cunctis*
*In quodcunque lubet, faciemque à crimine ducit*
*Ut vitium virtus fiat crudele tegendo.*
*Hæ lemurum species noctu fallentibus umbris*
*Membra locans, tristique ululanteis carmine Maneis*
*Murmure ferali adsimilant, ut pantice pleno*
*Lurcentur delicta hominum, tenebrisque sepulti*
*Solicolis, genus omne patrent, sine judice, culpæ,*
*Thaidos Hesperiæ juratus ad omnia miles*
*Exercere manum, & quos vi compingere non est*
*Fraudibus occultis cumulos conferre precando.*
*Queis sese meretrix pallens cervicibus altam*
*Sisteret Europæ, regumque in sceptra veniret*
*Indocilis suamet tamdem cognoscere signa,*
*Quæis prædicta Deo est per sancta oracula Patrum.*
*Ipsa adeo princeps furia alta in mœnia Romæ*
*Defixit sedem, & mentito jure recepta est,*
*Arma olim duris adsueti ferre lacertis*
*Ad specula enervant gressus, & debile murmur*
*Nocturnis vendunt larvis; ne clasica quisquam*
*Barbarus antiqua de lege caveret avorum.*
*Eunuchi imbelleis, atque Attyde digna tyranno*
*Agmina, constipant stabula, & se vallibus abdunt.*
*Ut quodcumque nefas animo prægnante liberet*
*Clam facerent, pœnasque palam dictisque locisque*
*Excuterent sanctis, mendicatoque tumore.*
*Quod genus ut natum est, specie virtutis amata,*
*Disciplinam omnem studio corrumpere varo,*
*Sic qui claustra sequi prolem vetuêre supinam.*
*Ambitione nova, magno evertêre furore.*
*Quosque Dei sanguis purgavit labe cruenta*

 *Debita*

*Debita qua noxis æternâ nocte premebat,*
*Vltro perpetuus adsunt transcribere pœnis*
*Ingrati patres, Quoquò versum incita volvas*
*Lumina in humanis regnant vaga crimina rebus.*
*Seu sobolem innocuam studiis adducere pergas*
*Florentis Sophiæ, Sophiæ vix nomen inane*
*Restat. & in speciem venit irrevocabilis Error.*
*Iuridici denso stipant subsellia cœtu*
*Legiferisque tument; scitis, & jura ministrant*
*Ambitione gravi, seu scripta sonantia volvas*
*Ceu coram ingenti credas succedere voci,*
*Iustitiæ ut penetres latebras, æquumque remotis*
*Sensibus evolvas, & cuncta ænigmata discas.*
*Omnia festinant splendentis ad ardua numini*
*Imperia, & diti tantum se, examine lusco,*
*Indulget lanx Iustitiæ, ni fervida claro*
*Lamina jure crepet, tenebris submotus opacis*
*Mendicat Labeo, surda sedet aure patronus*
*Scrutaturque sagaci oculo turgentia Zonis*
*Cingula, ut exponat non re, sed pondere Lancem.*
*Nil non æqua tulit, nummorum copia, recti,*
*Omnia pauperies incurrit crimina, cujus*
*Intuitu, ut quondam monstroso crine Medusæ,*
*Iura trahunt lapidem, saxosaque viscera celant:*
*Stat precio venalis & ad sonitum æris amici.*
*Sponte fugit cœlo sata, virgo, potentibus astris.*
*Hæc Schola clamosis docet importuna magistris,*
*In fora quos linquit, studiorum, cruda, juventus,*
*Et festina lucri. Procul insuperabilis auro*
*Monstrat iter, tumidumque vocat rapidumque sequendi*
*Vlpia progenies Domiti; venit Ocyor Euro*
*Et per damna clientum iter ad sua lucra fatigat*

Imberbis

*Imberbus juvenis. vita via nobilis extrà*
*Spernitur angustis spaciis, latissimus error*
*Grandibus in lethum gradibus decurrere praeceps,*
*Abripit incautum, & finem in primordia misit:*
*At non prisca fides operum. Tropica ista secuta est*
*Stoicidum schola purpureos subigebat ad unguem*
*Caussidicos, vel mellidici stirps docta Platonis*
*Socraticave tribus aliis, quas quattuor heres*
*Distulit in parteis. Sancta incunabula legum.*
*Moribus in sanctis Mavortia Roma tenebat*
*Non rudis è trivio quivis se Cerberus almo*
*Nomine vendebat, sed Caesaris ante probatus*
*Auribus, & Domino terrarum examine, Iuris*
*Responsum dabat, & legem torquebat in usus.*
*Vnde futurorum sanciret regula firmis*
*Obicibus pondus, scitis praetoris honori*
*Aemula: Caussarum Catuli ad proscenia magnos*
*Deflexêre animos, & quem vice Consulis olim*
*Orbis adorandis titulis comturus habebat,*
*Diva patrociniis lassabat pectore, donec*
*Apta magistratu summam sistebat in aulam,*
*Sceptraque Eburna dabat, fascesq; in limine senos.*
*Nunc male litterulis gustatis rabula pallens*
*Triste supercilium pro majestate severà*
*Imputat in studia, & doctescit multa loquendo.*
*Queis neq; pes, capitis neque forma supersit, inane*
*Cymbalon, auriculis vendens cata pectora longis.*
*Nec minor Hippocratis pestis grassatur in artes,*
*Si puer ingenuus sectam damnetur in istam.*
*Non secreta prius discit, temeraria multo*
*Funere quam dederit placatum audacia navis*
*Porthmea Manichae, stygio qui gurgite nigris.*

Rem-

*Remigibus, laceráque redit ſine fine carina.*
*Pars adeo non parva Deûm in ſacraria greſſu*
*Irruit ancipiti. ſponderque immane metallis*
*Decoquere imperium, & ſilicem mutare liquore.*
*Numinis huic ritu colitur vaga flamma, profano*
*Gentis Achæmeniæ ſcito, quæ ſolis adorat*
*Effigiem in terris, excuſſum ſcilicet ignem*
*Et Chalybe & ſaxo. Cum multa potentia divûm*
*Condiderit cauſſis, vel ſoli appenderit alto.*
*Vnde abſterreret mortalis acumina ſenſus*
*Immortale ſequi facinus; cum lentus Apollo*
*Mille annos operi inſumat, dum nobilis aurum*
*Flamma coquit, venisque liquans inſtillat opertis,*
*En, breve qui ſpacium ſolis viſurus honorem*
*Prælongam in noctem nutantia lumina claudet,*
*Cæcus homo ſtudii, ſuperos imitarier auſus*
*Virtutemque venit flammæ cæleſtis, agendo*
*Præcipiteis formas aliorum in dite metallum;*
*Nomine quod memorant Solis, ſed ſimplicis aurum*
*Doctrinæ dicunt pueri, quibus acrior ardet*
*Divitiis Pietas; duplex inſania mentis*
*Degeneris, flammæ facere impete velle paranda*
*Munera avaritiæ, ſimplex furor ardet habere*
*Facta bona, hunc geminat quærenda parare labore.*
*Ah miſer, inceptis vitam poſiture periclis*
*Vivendi, dum dura animum per vulnera raptas*
*Curarum, vigilique quatis præcordia motu*
*Occubuiſti homo, nec de tot ſudoribus ad te*
*Mica venit fructus: etiam data munere divûm*
*Corrumpis varo rerum myſteria ſenſu,*
*Extorquesque tibi pœnas, vi præpete flammæ?*
*Claude oculos animi, non hæc via ducit ad aſtra.*

*Vtere*

*Vtere jam factis, res desine velle creare,*
*Quas Domini sibi sepposuit servanda voluntas.*
*Vos vero, in quorum manibus primæva caduci*
*Orditur soboles cursus primordia sanctis*
*Sistite charam adytis, rerumque ardente tumultu*
*Excutite ignaram. Satis est tot millia retrò*
*Sponte redire tamen, ne vos impellite molleis*
*In casum saltus, & persuadete ruinam.*
*Præcipue gens divinis avertere fatis*
*Festinat vitam natorum, & volvere fundo*
*Spes superas, quæ multiplici grassata per orbem*
*Merce redit, dubiamque animam trans æquora mittit,*
*Quæsitum quæstus, vario simulamine cultus*
*Corradens magnatum operas, sacrosque remotis*
*Thesauros rumpens atavis, & flebilis auri*
*In precium antiquos dissolvens strenua moreis,*
*Vt nati natorum atque altæ stirpis origo*
*Deficiat signis majorum, atque orbe petita*
*Ex alio, amissis propriis, monumenta reponat.*
*Huic via nulla gravis, damnum sentire laboris*
*Spes lucrosa negat, sæpe ipsa pericula quærunt*
*Vt pretium merci constet de sanguine vili*
*Vendentis miseri. Vix tot natura patescit*
*In species formis, maternaque brachia laxat,*
*Amplexu pascens in lucem educta marito,*
*Quot numeris lucri Vesana cupido rebelles*
*Deiicit in terram mentes, retinetque tenaci*
*Compede: Mille modis fallendi inglorius auctor*
*Irretit cupidos, & merce superbus amica*
*Attrahit emtoreis. Raro nos utimur orbe*
*Quem natura dedit; peregrina tot ebibit omneis*
*Materies census, & vix quoque linquit egenos,*

Quin

*Quam cum opibus vitam depasta, cadavera nuda*
*Vindicet, & luxu exhaustos commutetur ad umbras.*
*Quod dapibus, potu, induviisque, domuque forisque*
*Vtimur, externum est, & mercatoribus arte*
*Quæsitum: fæcunda æris, qui deside luxu*
*Vota replent. pauci de nobilitate severa*
*Germanos recolunt mores. Exoticus aulas*
*Cultus habet, prisciique perit lex rustica secli.*
*Ordine turbato lucri Lascivia, lautæ*
*Trans mare trans montes quærit compendia vitæ;*
*Vt niteat species alieno comta periclo*
*Detque rudi censum populo: Stirps pleraque primis*
*Huc volat ex ævi numeris, atque orgia laxat*
*Quærendi studio: Nec res culpabilis illa est*
*Sollerti utibileis inducere pectore merceis*
*Externisque locis nostros conjungere ab usu.*
*Sed crescente nova rerum facie, utilis exit*
*Commoditas, turpique libidine prisca novandi*
*Subruitur prorsus nec disciplina sagaci*
*Restituenda animo est. Non sic Harmenius ingens*
*Non atavi venêre alacreis, queis Martius ensis*
*Excussit caput imperio, Romamque potentem*
*Orbis, ad Hunniacos jussit trepidare maniplos;*
*Francaque vel solis audita tremiscere dictis*
*Robora, cum patrio contenta Ferocia cultu*
*Ingrueret virtute mera, nec nobile nomen*
*Fœmineis tunicis, & picta venderet esca.*
*At satius terrestrem epulis onerare severis*
*Magnanimo mensam victu, quam vilibus altos*
*Frangere deliciis animos, & tradere molli*
*Luxuriæ imperio, cum jam sitis ægra bibendo*
*Cresceret, exciso nisi Massica ducta Smaragdo*

*Innicerent frenos; stomachi latrantis orexis*
*Piscibus Adriacis & Phasidis alite solò*
*Considerat, vexetque magis, si vilia frusta*
*Vel procul aspiciat, cæso quæ villica Tauro*
*Attulit, hortensique oneravit aromate larga.*
*His Romana epulis paupertas primitus usa*
*Contemtos Asiæ proceres subjecit habenis:*
*Staret in his, modo quod laxato perdidit usu*
*Forsitan imperium vel nunc servaret, & astris*
*Aequaret. Postquam terras emersa triumfis*
*Italiam rerum dominam, gentemque togatam*
*Adscripsit superis, & se quoque vincere jussa est,*
*Erubuit, retroque pedem furiata repressit.*
*Scilicet adversa constans Carthagine bellum*
*Erudiit vires, virtutemque egit in arma*
*Desidiam excutiens. Non pro laquearibus auro*
*Effultis, ductisque antiqua è Synnade saxis*
*Aut citreis Mauri mensis, statuave Lysippi*
*Pugnabat Romana manus, cum pauperis ingens*
*Fabricii luxus Pyrrhum submovit, & agro*
*Squalidus à patrio Reges Dentatus agebat:*
*Pro laribus parvis, & victu simplice pugnax*
*Subjecit mundum Ruditas. Thrasimenus & atrum*
*Cannæ Diis nomen, qui pro virtute secuti*
*Agmina, conciderunt Pœnæ vi fraudis, & ingens*
*Vnoculus, ferro & flamma conspectus ad urbem*
*Flagranteis rapere inde equites, unde alveus ater*
*Cæsorum tabo portas manarat ad altas,*
*Fortunam didicêre manu sibi quærere. Postquam*
*Aemulus imperii non sponte amisit habenas*
*Annibal, & tanti cum spe ductoris in ignes*
*Consedit Phœnissa, ingrato numine, Iuno,*

*Luxuries*

*Luxuries pradulce malum, spolia orbe potito*
*Vertit in inferias victorum, exstincta triumfis*
*Materies, mores unà traduxit, & in se*
*Indocileis flecti detorsit blanda lacertos:*
*Hæc data prima malo, succrevit caussa quotannis*
*Suavibus ex opibus, quas jam pro merce duelli*
*Miles habebat iners. Excisa educta Corintho*
*Aera, vice armorum moreis vertêre virileis*
*Fœmineam in speciem; mirati tempore primo*
*Abjecêre malum, pretium mox condidit usu*
*Rarus honos: aliique aliis vendendo, dederunt*
*Quærendi caussam. Dein magna pecunia sese*
*Spernere jussa domi, sculptoris inutile nomen*
*Ambitione sacra scrutatur, & alter in acrem*
*Invidiam alterius pretium crevisse coegit.*
*Donec in obscuros venit nova regula sensus*
*Divitias signis, & signa requirere censu.*
*Disciplina perit parvo contenta parentum:*
*Usus & in facili durum se perdit abusu,*
*Fitque sui incassum servato transfuga more.*
*Hic rapidus miles cumulos stipare, trahendo*
*Luxuriam in vulgus, positis mercator ab armis*
*Omnia rimatur semoti littora Ponti,*
*Datque novam rebus faciem, pretiumque novatas*
*Aggerit in formas, magni compendio quæstus.*
*Præcipiti donec virtus impulsa ruina*
*Imperium abstraxit. Gens paupertatis amatrix*
*Vicit ubique opulentam aciem. Tabulasque paternas*
*Attila Romuleis Victriceis arcibus, ingens*
*Opprobrium, imposuit. Francique Hunnique potentes*
*Tam rerum mansêre diu, quam spernere merceis*
*Externas potuêre domi. Cum mobilis usum*

Persuasit

*Persuasit luxus, concisum in frusta resedit*
*Magnanimis partum dextris, sine vindice, regnum.*
*Tale malum merces trahit in compendia vitæ,*
*Frugiferis opibus peregrina vocabula rerum*
*Europæ impingens sterili; cum nomine semper*
*Nata novo clades nostrum descendit in orbem.*
*Multa patrum culpa est, sobolis quæ sensibus altè*
*Instillant teneræ lucrum, ut sine lumine corpus*
*Prostituant fortunæ, ut non satianda cupido*
*Sudat opum. cerne extremos ut luridus Indos*
*Sanguineo ut ligno ditescat, adire laboret*
*Mercator! felix, dum certum incurrere fatum*
*Aut opulescere avet. Vix quarti remigis orbem*
*Corpora reprendunt patrium. pars pleraq; gnara*
*Nec reditura volat, properatque inflebile lethum*
*Spe misera vendens constantis lumina vitæ.*
*Tertius in tabulis consumtus putribus annus*
*Vix inopem absolvit, patriâ peregrinus inerrat*
*Ille suâ, si quis furiis tot quivit adire*
*Carceris Aeoliique manus, pontique procellis.*
*Barbarus in moreis, solâque astutus habendi*
*Ambitione, Deos atque astra lacessit in undis*
*Aeger homo. Cum mille modis terra hospita corpus*
*Quottidiè affligat miserum, tædére malorum*
*Incipit, ut paucorum, atq; ultro in marmora currit*
*Præcipiteis rapiens furias, seque omnibus offert.*
*Hei mihi, quid fati misero concessit in ipsum*
*Se, pietas inimica, homini. Suadêre parenteis*
*Cum lucri incertâ soboli spe certa pericla*
*Corporis atque animæ, res deflendissima certè est.*
*Omnia quæ humanæ vis diverticula vitæ*
*Obsedit pœnis, hîc se crudelior ipsâ est.*

*Siste, parens decepte, animos. Sat præpetis ipsum*
*Curriculum vitæ studiis te impendere pravis*
*Hactenus, i retrò, & vestigia lapsa refige.*
*Quid prolem innocuam, sub te quæ prima magistro*
*Discere jussa Dei debet, tecum abripis orco?*
*Vita brevis tota est, & dum perpendis, abivit.*
*Vmbra velut solis faciem comitata, tenebris*
*Delicuit, fumusque vago dispersus ab austro est,*
*Vnda velut bullam, cernis quam exstare, resorbet*
*Dum loqueris, premit ista aliam, premiturq; sorore*
*Ipsa alia porro, & dum fit male tabuit in se.*
*Sic hominum instabili genus omne volubilis orbe*
*Insistit vitri, vitrum cita flamina turbant,*
*Evertuntque simul nitentem, & funera jungunt.*
*Cum periit, vacuum fratris citus occupat alter*
*Ipse loci incertus, quem dum se scandere primum*
*Autumat, impulsus tenui stridore, reliquit.*
*Quid, miseri, æternis, veluti data tempora regnis*
*Sumitis in studium vigilis sine fine parandi?*
*Hæc aliis struitis, vestrum subterfluit ævum*
*Dum nescitis eo compostâ mente frui sci.*
*Cum tumulum in patrium vos terra reducet anilis*
*Par eritis dives pauperque, sine ullius usquam*
*Materiæ imperio. Nudi de matre bonorum*
*Venimus in mundum, nudis lux chara migranda est.*
*Lintea quæ miserum involvent funebria corpus*
*Nos comitabuntur, sed solo fine probandi*
*Hæc etiam superesse homini, nam tabida sidunt*
*Membra prius sanie, quam linea texta recedant*
*In nihil. Hæc nobis mors pro custode relinquit*
*Queis primo in vitâ, partum post matris, egemus.*
*Interea quid cæca juvat nos cura tenendi,*

*Aut quid ad obsessos longæva nocte bonorum*
*Quæ perhibent, penetrat? si Susis omnis ab altis*
*Gaza domo in nostrâ sedeat jam tempore longo,*
*Quid juvat extinctum, quem derisisse putatur*
*Viventem merito, famulata cupidine falso?*

*Quare agite à teneris, spreta ambitione tenendi,*
*Instruite ardentis sobolem pietatis amore,*
*O quos dignata est lex nomine dia paterno.*
*Scilicet æternæ servat promissa salutis*
*Diva Deum Pietas, nec tempore victa caduco*
*Errabit longum, nec turpi obscura premetur*
*Pauperie. Solum hoc, instar fulgentis acervi,*
*Progeniei seræ fidum & memorabile donum*
*Tramittit senior populus, spe plenus avitâ,*
*Perque manus patriæ tradit virtutis honorem*
*Perpetuâ augendum, deleto fine, catenâ.*

*Hanc pater omnipotens sacram de stirpe remoti*
*Et mihi præstituit proavi, ante exordia mundi*
*Suspensumque, cavo qui nunc volat aere, olympum,*
*Ante creandarum fundamina condita rerum.*
*Me pater elegit longa post messe futurum*
*Temporis arcani, gremio quod maximus auctor*
*Ipse suo gestat, momentaque ducit in apta.*
*Electam æternæ prolem virtutis, ut ingens*
*Præco sacrorum operum mysteria carmine pandam,*
*Utque vagam hanc vitam spe consolatus avorum*
*Post breve mortalis vitæ spacium astra perenni*
*Participem cantu, & moritura piacula culpæ*
*In Christi exonerem meritis; ut corpore puro*
*Exscendens tumulum, mentem velut igne recoctam*
*Importem cœlo, & IESV fruar inde triumfo.*
*Te veneror, pater omnipotens, da mobile marmor*

*Temporis obscuri tali transcurrere passu,*
*Vt fixo in speculo servem mihi præmia vitæ*
*Seposita æternæ, ne truxome cura tenendi*
*Aut mala luxuries, aut Martius auferat ardor,*
*Sed velut hospitium crudele, inimicaque cultu*
*Transfugiam stabula, & patriæ sublatus amore*
*Arcano gemitu, & precibus tua numina sanctis*
*Devenerer placidus, donec me incerta relinquat*
*Hora brevis vitæ; tua juxta altaria puris*
*Nocte dieque sedens manibus, sacra orgia laxem*
*Musarum studiis, & de te carmina dicam*
*Quæ seri memorent studio recolente nepotes.*
*Nec me tangat honos, nec spreti gloria mundi,*
*Dum Dominus vivam ipse mei, mentemque potentem*
*Laudibus exsolvam patriis; Tibi gloria soli*
*Sancte Deus, tibi in immensos præconia solvat*
*Annorum reditus, & operti tempora secli,*
*Quisquis avet tecum, innumeris comitantibus alis*
*Sanctorum procerum, quondam, post carceris antra*
*Terrigenæ, æternâ super astra virere juventâ.*
*Pura exantlatæ decerpens præmia vitæ*
*Turpibus in stabulis, per quæ bona gratia Christi*
*Deduxit miserum & cœlesti reddidit aulæ*
*Quam pater eripuit male cautis morsibus Adam.*

FINIS CANCRI.

C. BARTHI

# ZODIACI VITÆ CHRISTIANÆ.

## LIBER V.

### QVI ET LEO.

*MAgnanimos nunc, Diva, viros, queis subditus orbis*
*Paret, & attentis animos compescit habenis,*
*Immittitque operi, & mandata ad munia raptat,*
*Fortibus evolvam numeris, Tu Martia, Cleio.*
*Plectra preme, & placidum ducat Prudentia currum:*
*Quondam acies quondam arma canam, cum immanibus ausis*
*Proturbatum Asiæ latronem in vincla venire*
*Conspiciam, Austriacosque in fervida carmina ducam*
*Semideos, quibus imperii Germanicus ales*
*Submittat late cristas, & robora servet.*
*Ipse incurva gerens lunatæ fragmina peltæ*
*Thrax teret ingenteis immani mole catenas.*
*Efferus imperii quondam, nunc lurida ferro*
*Colla premens, sceptrisque manum inclementibus aptam*
*Orbibus involvens patulis: juxta ardua gestans*
*Pilea succedet Germano Græcia regno,*
*Libertatis amans, sub libertate cupita*
*Servitium Domino felix in itare Beato.*
*Nunc adeò facili paulum mysteria versu*
*Regalis Sophiæ, & cælestis imagine magna*
*Pacificus proceres sine cæde in [illegible] Legius*
*Imperiis servire suis, & tradere Christo,*

 Illibatam

*Illibatam animam, levium quam copia rerum*
*Nescierit turbare viâ atque avertere retrò.*
*Quisquis ad excelsæ moderamina prosatus aulæ*
*Purpureis regis imperiis mortalia secla,*
*Subjectosque tibi nutu dominante coerces*
*In mores populos, & fræna ferocibus obdis,*
*Impeditisque manu segnes: cui regula condit*
*Iussorum nova fata hominis, cum prodiga vincis*
*Fine novo, luxumque premis, deinde aspera contrà*
*Mitissimis lenire potens extollis habenis.*
*Non aliter quàm flamma Dei pulcerrima cœlo*
*Vere venit facili, & placido moderamine pollens,*
*Frigora clementi torpentia temperat æstu,*
*& rapidam leni demulcet frigore flammam:*
*Vt sua temperies grato provecta lepôre*
*Induat in vitam jaculi corpora motus.*
*Quod geris imperium, populos quibus acer habenis*
*Compescis, famulum æterni te Regis Olympo*
*Adsimulant sceptris, dominumque ænigmate miro*
*Exscribunt terris. Vt enim tibi subditus orbis*
*Paret, & ad nutum populi mandata facessunt,*
*Sic decet Altitonantem alto te pectore regem*
*Perpetuis colere obsequiis, & numen habendo*
*Numinis esse tui præconem, atque æmula summis*
*Subiicere imperiis mortalis regna manipli.*
*Scilicet ut tumido navim catus æquore rector*
*Obvertit ventis, fortunamque, arte magistra,*
*Adstringit numeris; Gravidum citus abiete pronâ*
*Vitat, & instabilem gravido premit impete fluctum;*
*Sideraque è celso lustrans pendentia mundo*
*Ingenio ducit per tristia fata carinam.*
*Sic pater intrepidus patriæ, pietatis ad astrum*

Desuper

*Desuper adfixâ sublucens mente, monendo*
*Fortunam trahit in populos, & lumine leni*
*Omnipotens moderatur opus; Dein fortia facta*
*Accumulans monitis, clementique indole jussus*
*Exemplis vitam ipse regit: ne pœna nocenti,*
*Præmia ne desint merito, virtutis amorem*
*Instillat populis dum se componit ad illam.*
*Ut nec inops jaceat probitas, nec inertia surgat*
*Divitiis, aut non punita Licentia crescat:*
*Sed quasi juratis inter se mutua vivant*
*Mortaleis animis; Quem paupertatis acerbæ*
*Nascentem stimulis Lachesis damnarit amara*
*Nitatur contra, & studio virtutis in altum*
*Surgat, Idumææ pingendus imagine palmæ.*
*Ponderibus quæ pressa novis, acquirit ab ipso*
*Robora succubitu, gemituque irata potenti*
*Tollit onus. Quoi feliceis indulserit ortus*
*Atropos, incumbat studiis, ne fortis adulter*
*Credatur patriæ, meritisque à plebe recedat.*
*Atque ita compositâ florentia secula pace*
*Exclusis inter se odiis placidissima certent*
*Otia, cælestis specimen referentia vitæ.*
*Quæ quia vindicius contra vim & fraudis acumen*
*Viderat omnipotens solido custode tuenda.*
*Armavit ferro proceres; & regia cinxit*
*Excubiis bello florentibus atria; ne fas*
*Ad sacrum penetrare genus scelera atra regentum.*
*Quique nefas fecêre manu aut patrare parati*
*Volvebant animo, ne turpi exscindere castam*
*Auderent pietatem æstu, aut restare vigenti,*
*Justiciam objecit domitricem, & manu ære*
*Lancem ingentem instans; cujus moderamina servent*

*Ensiferi proceres, excisa audacia ferro*
*Exsulet, æquali ducantur tempora lege.*
*Hæc monet indocileis parendi ut poplite flexo*
*Admittant sacrum Imperium, & terrestria cultæ*
*Numina præscripto venerati, ad munia quisque*
*Mente sua abscedat placida; ne vindice ferro*
*Ingruat, aut penset contemtum morte, potestas:*
*Hæc eadem monet ingenteis ad jussa Leones*
*Mitificis injecti animus, ne pressa negatis*
*Viribus insurgat capiti temeraria plebes:*
*Sed moniti sapiant, ut vix sine Principe vulgus,*
*Sic sine subjecto penitus subsistere vulgo*
*Endoperatorem nescire; hoc rector habebit*
*Mente potens alta; Pars est parentis & ipse*
*Plebis; & injussus Domini majoris abibit.*
*Vt caput ille domus genitor, sine nomine nati*
*Nullus erit; quamvis nato prior imperet heros:*
*Sic princeps populi, populi sub nomine constat;*
*Publica cui suprema salus lex edita regnat.*
*Atque eadem fortuna viro est. Parentis inquè*
*Portio magna ratu, cum fracta puppe magister*
*Naufragium patitur, nec tam pro præpete tæda*
*Quam tunet ipse sibi, vigili cum pendet ab Arcto,*
*Et stata in instabili designat sidera ponto.*
*Quam tabulæ servat, tabulæ retulere salutem*
*Servatam Domino, Dominusque redhostit eamdem.*
*Quos sacra nobilitas jussorum, à clade tuetur,*
*Hi tutum fecère virum; quæ munera præstat*
*Accipit ipse simul. Conciso prodita nervo*
*Ambulat effigies regni, quæ fulmine prono*
*In sua membra furit. Sed enim Clementia morum*
*Incipit à sese: Nulli facere illa memento*

*Quæ*

*Quæ tibi facta nevis, odiove patrata refutas.*
*Qui patitur nec justa, timet. Timor improbus ex se*
*Trux odium generat, odio se plurima cædes*
*Subjicit, ulciscendi animum quæ turbat in ausus.*
*Sic rudis in suamet crudelem exempla tyrannus*
*Exstimulat; pronoque ferox injuria fluctu*
*Imminet auctori; nisi quod furor acrior ardet*
*Plurium in unius facinus; cautelaque longe*
*Difficilis magis est, cum tot truculentus in ausus*
*Certa videt pœnarum examina: Nulla minati*
*Dextera securum lethi patietur abire.*
*Ille licet longá roranteis cæde bipennes*
*Efferat excubijs, & densis abditus alis*
*Effugiat pernix equitum, temerarius olim*
*Invenit absconsum & penetralia dividit Vltor.*
*Qui tot tela timet, quem tot tristissimus urit*
*Criminibus serpens, imò quem pectore testem*
*Consilij gerit ipse sui, cum conscia versat*
*Tisiphone sensus, atque horrida suggerit ausa;*
*Quotidiè Patricida sui est, tot corda penetrat*
*Ensibus, &, scelerum vindex, ultricia jactat*
*Flagra, quot infelix decurrit nomina tempus,*
*Quod vitam lethumque inter pendere supinum*
*Cogit, & ad quemvis auræ pallescere motum;*
*Sanguinis exhæres Animæque, ut inutilis undæ*
*Bulla sonat, solâque probat se morte fuisse,*
*Attonitum quemcunque diu noctuque tyrannæ*
*Exercent furiæ & tremebundo exempla figuris*
*Objiciunt certis, in quæ timet ipse venire,*
*Dum meruisse videt. Procul hinc Clementia servat*
*Dia Deûm regalem animum, quæ jure licebunt,*
*Iustitiæ laus stricta jubet; verum aspera vitæ*

*Conditio humana contra sua vota recessit*
*Sæpe viâ, nolensque animo prolapsa supino est:*
*Hinc aciem gladij ancipitis ratione magistrâ*
*Egit in imperium virtus mitissima, pasci*
*Indignata malis, luxumque inquirere pœnâ.*
*Non aliter per strata ferox armenta redire*
*Dum taurum adversa obvertentem cornua vidit,*
*Ultrò dejectis parcit Leo: fervida sidunt*
*Pectora, & horrenteis ponit clementia cristas.*
*Dumque potest ultor meritis insurgere pœnis,*
*Nobilitas agnata [illegible] dum parcere sentit*
*Qui nocuisse potest, ultro sons crimina longè*
*Abdicat. Expertèque bibit virtutis amorem.*
*Nec tamen in facinus fero venit impete judex:*
*Exemplumque cavet: nam qui punire nocentem,*
*Dum valet, elabi patitur proritat in ausus*
*Horribilis, culpamque licentia cognita nutrit.*
*Sunt sua delictis genera, & novâ sæpe luela*
*Traxit ab auctoris funestam pectore labem.*
*Difficilemque alio maculum ductura reatu*
*Urit in ingenium scelus irreparabile sontis.*
*Unde trahit docilem peccandi moribus usum.*
*Hic gladijs opus est ne se natura nocendi*
*Induat in moreis, & consuetudine serpat.*
*Non ea sævitia est, alio Clementia pollet*
*Nomine, cum vitium celsa de stirpe secuta*
*Eruit infelix: parcit victoria justo*
*Criminis obscæm, sublataque vindice ferro*
*Securum malitas ingloria suggerit ævum:*
*Sic pater omnipotens nutantia secula servat*
*Ne rapiant unam, vitio dominante, ruinam.*
*At quia vindicijs tutelâque omnia constant*

*Sceptra viris, ut sunt virtus vitiumque Monarchæ*
*Terrarum imperiis; securaque flagitat ore*
*Tutorem Virtus, vitiis suus imminet ultor.*
*Provideant primum Reges ne munia rerum*
*Singula quæ nequeunt ipsi patrare, nefandis*
*Segnibus aut mandent sociis: Dum parte regendi*
*Quisque sua fruitur, Domino tamen alta recurrit*
*Summa, nec omnipotens, quæ sunt commissa sinistrè*
*Excusare volet, vigilax cum cura remissa est*
*Principis, ignavique incumbunt regna columnis:*
*Quæ, cum celsus apex minus in loca dissita cautè*
*Prospiciat, laxetque tepens custodia frænos,*
*Se cupiant arci subducere, corpore fracto.*
*Vnde simul prono cum pariete celsa ruinam*
*Arx capiat, unoque crepent tabulata fragore.*
*Quod manus obscuri domino moderante ministri*
*Peccat, in illustreis radios ascendere gaudet,*
*Et culpam ingentem magno transcribere regi.*
*Qui gemit oppressus, non qui premit, odit, in illum*
*Scilicet assurgat, & se tuetur; at ingens*
*Principis imperium incumbit, cui sponte residunt*
*Vltoreis animi; nec enim est injuria servi*
*Quam domino mandante patrat, licet ille reatum*
*Participet juxta, tamen hoc adigente liquescit,*
*Culpa, cui integrum est nitentem cogere contrà.*
*Hinc scelera in caput assiliunt, quæ plurima peccant*
*Membra foris, animamque altam in penetrale sequuntur*
*Cordis, ubi tutum nequeunt percellere corpus.*
*Blanditias hinc magne, fuge, & variabile lucrum*
*Cum sublapsam alio sarcitum posse columnam*
*Ductor ades. Nulli vendatur sancta potestas*
*Nec docili palpo, quæratur, imagine lusca*

Pecto-

*Pectore deformis, licet ore placentis, amici.*
*Hi superant virtute alios, quos fervidus ambit*
*Invitos honor, & notis decus ingerit antè.*
*Ambitio excludit pretium rectoris honesti:*
*Quique negat, meruisse videt, sed spreta pudori*
*Præmia conciliant duplex decus. Ardua morum*
*Nobilitas non sponte caput quæ præpete dona*
*Promeruit virtute domi: Temeraria vota*
*Exigit ad lapidem, hæc dum discitur, abstinet usu*
*Immaturum animum; semper novus aspera casus*
*Discendi momenta gerit, quæ cautior heros*
*Undique corrivat prius, atque examinat intus*
*Quam trahat in populum. Lento tamen ignëus, æstu*
*Indicio legitur populi, quem calculus omnis*
*Destinat, ignarum veluti, longeque fatigat*
*Ambitione prius mira, quam comminus ausit*
*Ferre pedem, rigidoque oneri se, offerre potentem.*
*Tanta procul radios virtutis opinio de se*
*Spargit, & ambitum invitus, admittit honorem*
*Postquam se sperni didicit. Quem fervida contra*
*Nec deplenda sitis, potiundaque gloria flammat,*
*Omnia postponit dum qualibet exeat arte*
*Illustris, famulum obscurum indignata potestas*
*Sæpè dedit regnis, & sceptro admovit eburno:*
*Ut rude ludibrium monstrata potentia longè*
*Prostituat terris, deridendumque propinet.*
*Scilicet Ambitio quem dira levavit in altum,*
*Ostentat populis, radiisque micantibus auget*
*Ut facies pœna cunctis conspectior in se*
*Attrahat observantum oculos, cladem que ruentis*
*Secula cognoscant: Poterat Sejanus obire*
*Plebeiis pœnis, TiberI lux proxima magno*

Impref-

Impreßit diros obitus, regaleque fatum.
Ille Deûm imperijs hodie imminet, ardua volvit
Littera cras facilem; atque odijs popularibus ardens
Obijcit, exercet furias variabile vulgus,
Cum coluisse videt maledignum; atq; alta poteſtas
Ingenium eſt pœnis. Quemcunq; in culmine rerum
Deſpexit, calcat proſtratum, & fœnore magno
Faſtum inopi reddit, vidit quem ſæpe tumentem.
Adde quod hanc legem domitis maleſana reponat
Ambitio, plerumque quibus ſeſe artibus altis
Imponunt ſolijs, & ſceptra immania captant,
His recidunt, truditque alius verſutior hoſtem
Calliditate ſuâ; longè Rhamnuſia pallens
Exſcribit numeris atros fatalibus auſus,
Vindiciaſque parat ſenſim, & ſe occulta latentem
Admovet incautis, dum tempora plena ſuperbum
Excuſſere animum penitus ratione cavendi.
Tum Dea terribili mucronem ambage coruſcans
Inſcendit bijuges, quorum temone miniſtrat
Trux rapidum timor incubitum, Rota vertilis exit
In cladem, & latè falcato vulnera ferro
Diſpergit campis, illum ſublimis euntem
Diripuit acies contra, tergo alter inhæſit
Mucronem; exanimem & ſua jam commenta paventem
Deſuper atra alium clades venit; ille minantem
Proſpexit longè & perijt meditatus acerbam
Suffugere, atque altis alios intexere moreis,
Ah miſer! intereà non evitabilis axem
Vulnificum admovit Virgo, & vi præpete pronum
Meſſuit, & lacerum turbato liquit honore.
At gemitus longè ſtrati rectoris in altum
Deſcendit vulgus, populi in diſpendia princeps

Corruit,

*Exitiale bonis. Quos vi detrudere pallens*
*Desperat nebulo, nactus semel, ejicit, aureis*
*Principis, & sensim infelix surrepit adulter*
*Legitimi in thalamum, spreta pietate, mariti.*
*Illa quidem semper longè creberrima, pestis*
*Attrivit regnantum animos, nova semper in orbem*
*Subjiciens momenta lucri, quibus illa tepentem*
*Exoneret virtutem ultrò, atque in corpora vulgi*
*Fortunasque acuat gustato sanguine regem.*
*Ille ferox sensisse semel queis viribus uti*
*In sua vota queat, nullis retinetur habenis*
*Quin luxum exercere volet; qui casta monendo*
*Detinet, hunc odit blando decepta potestas;*
*Qui favet in vitium & juxta propellit euntem*
*Dignus amicitia meritus deflexa modesto*
*Pectora præcipitat sensu. Velut ille Leonis*
*Massyli catulus, parvum vivaria molli*
*Quem pavêre cibo, atque animos fregere minaces,*
*Alludit placidè pastorem, & segnia virgæ*
*Arma timet, paretque severo, adamatque magistrum.*
*Ille jubas facili distinctas pectine mollit,*
*Exornatque auro & gemmato torque coronat.*
*Cum neglecta semel vis quottidiana domandi,*
*Et morem incauti moderantis cura remisit,*
*Ille subit patriæ jam libertatis amicum*
*Fervor, & instantem spernitque oditque monentem.*
*Hactenus: at sævo gustati sanguinis haustu*
*Disciplina jacet, cum blando examine vireis*
*Attentare volunt, pueri, ludentis, in agno,*
*Armavêre ferum. Tacto semel ora cruore*
*Depurgare nequit, jamque à custodibus ipsis*
*Ira famem orditur rabidam, sistitque magistro.*

Hinc

*Hinc loca præcipiti nactus silvestria cursu*
*Arbitrio fremit ipse suo, regnatque cruentis*
*Imperijs, armenta, greges, trepidosque magistros*
*Raptat, & in stragem regionem omnem induit horrens.*
*Nec proprio fidus generi, Bacchantia secum*
*Corpora deponit furijs, monstrataque primos*
*Vertit in auctores, & robora sistit amicis.*
*Dum pares, Rex, cuncta regis. Senioris amici*
*Fastidire, cave, & magno postponere motu*
*Canitiem juvenis. Non ille placentia primo*
*Monstrat in intuitu; seri colofonis amator*
*Expertum videt ante malum, doctrinaque crebris*
*Usibus apta artem longè prævisa salubri*
*Consilio avertit. Contrà puer, efferus ævo,*
*Impete qui solo metitur pondera rerum,*
*Spe super ancipiti, quæ non videt irruit audax.*
*Pubertas generosa animum, ceu stupra, virilem*
*Effræni anticipat furiosa libidine frustrà,*
*Nec cautura volat, primo sæpe orbita passu*
*Blanda favet. Cum fræna semel dimissa voluptas*
*Arripuit, paulatim animum indulgendo retorquet,*
*Exscinditque alacri strictæ virtutis amorem,*
*Et placitum in vitium non cognoscentia raptat*
*Corda ducum, retroque ferox oblitterat æstus*
*Migrandi spacium & mutatum semita callem*
*Obliquat versim. Cum jam maturior ætas*
*In peccata venit, nimis alto luxus obhæret*
*Obijce, seque odit frustrà, & contemnere nescit*
*Quæ correcta velit, sed jam mutare nequibit.*
*Eijce palpantum generoso pectore turbam*
*Indocilis parere puer. quid mollibus ultrò*
*Semiviris regni trades florentis habenas?*

Quem

*Quem senior cœtus, sanctorum curia patrum*
*Æquævique tuis dominum majoribus unâ*
*Voce canunt proceres. Servitum obn. xius ibis,*
*Servitijs, generose, tuis? non indolis ille est*
*Fructus, & excelsi trans patria pectora motûs*
*Quem laudeis tribuere tibi, quas turba furore*
*Vendit adulantum. Populus tua facta patresque*
*Subjectusque videt, frænis dominantibus, orbis,*
*Hunc testem altorum vel si vis nullus habebis,*
*Milloculum effugere actorum. Tua gesta latere*
*Nec cum sole queunt. Quæ te tot millia adorant*
*Exspectantque sacros nutus, pro judice tantis*
*Obsequiis adsunt: Hos cum parére voluptas*
*Blanda tibi est, sic fata jube ne barbara dicant*
*Numina, & alterius malint succedere signis.*
*Quæ circum obscuro supplex emblemate fastus*
*Turba ruit, densusque Tenebrio luce novercâ*
*Ingruit illustris, sperne & clementia longè*
*Vulta move: propriâ regis petiêre ruinam*
*Clade, sed ignari; vitiis exponere sese*
*Pro lubitu, haud ullâ, stolidi, ratione potentes,*
*Abstrahere, & secum, dominantem evertere certant.*
*Adspice avos, veterumque evolve patentia libris*
*Gesta ducum, non tot bello fudere Gradivi*
*Pugnantes furia, non hosticus abstulit ensis,*
*Non peregrina lues, aut invidiosa potestas*
*Consortis, nutrita domi quot depulit aulâ*
*Pestis adulantum, & sibi debita fata tyrannis*
*Induit, obrepens fucati melle veneni.*
*Non delator edax famæ melioris, & auctor*
*Discidij obscurus specioso proruta lucro*
*Corda vetustorum conetur pellere Amicûm.*

*Nil venale bono est, pravo mens ebria viru*
*Nil sacrum sanctumve putat, dum casta trucidet.*
*Seque loco imponat, cœlum persuasa tenere.*
*Prima, velut speculo, species venit ista, ruina*
*Cum premit exstanteis, tumuloque ultura fragore est,*
*Nil possunt justis, & nil non credere pravis,*
*Exsensi proceres. Illa fugit arduus aulâ*
*Cum Virtutis Honor socijs, male cognitus, alis,*
*Sponte Deum sequitur magno Fortuna tumultu*
*Prosperitasque comes & cum Successibus ingens*
*Majestas, numen junctis quâ præmia Pœnis*
*In delatoris tabulas venêre protervi.*
*Nil ibi sancta valet ratio, dedit auribus omnes*
*Imperium in sensus princeps, quib. incubat amens*
*Et lubitu premit ipse suo pia vota, susurro.*
*Ille vicem veri dominantibus exstat amici*
*Non qui facta (velut gallinæ filius albæ*
*Nesciat in latus obliquo titubare repulsu)*
*Cuncta probat, mentemque indulget in omnia præsens*
*Laudatricem ubicunque velis. Sed moribus heroum*
*In patrijs juxta, & vel solo errantia nutu*
*Pectora castigans cum majestate delendi,*
*Quam simul adspiciat princeps, constantis amore*
*Erubeat socij atque ultro conata relinquat.*
*Ille nec in facinus laudabile protinus adsit*
*Gaudentis specie, naturam in principe certam*
*Facta putat laudanda pio, quæ singula pronâ*
*Laude sequi spernit, fugiens odiosus haberi.*
*Quæ cum magnanimi vis senserit ardua regis*
*Vltro in consilium adsciscet, narrataque gesta*
*Exiget ad limam rigidi generosus amici.*
*Ille ubi non solo videt impete nobile factum*

Expe-

*Expedysse hominem, sed cui constantia menti*
*Mandarit penitæ solidum virtutis amorem.*
*Tum demum arcano præconia lecta senatu*
*Secretumque aperit pectus, meritique potentem*
*Comit honore potens, & carmine prælia pensat.*
*Stat juxta juvenis dijs æquiparabilis, altæ*
*Magnanimo excessu mentis, quæque omnia sentit*
*Promeruisse, volens spectato in vate celebrat*
*Seque ultrò indulget stimulis virtutis & instans*
*Præconem meritis superat, non sponte minorem.*
*Hæ tibi erunt artes porrò: nolentibus ingens*
*Imperitare labor: regnum Clementia firmet*
*Et facilis radijs majestas mitibus ardens.*
*Seditio compressa quatit; si viscera montis*
*Incubitu allidant gravido Zephyrusue, Notusve,*
*Ætna ruit flammis, & stragem incendia late*
*Exonerant campis, toto fremit insula fundo*
*Triquetris, & populi sævas tremuere favillas.*
*Vincla jugo laxet placidi gratissima vultus*
*Temperies, tum ferre putant se jure regentem*
*Parcere cum cernunt, stabilem Clementia portum*
*Erexit miseris, & desperare coactos*
*Ritè vetat. Tum spontè salus pro principe charo*
*Vilescit populis, cum quem vidêre potentem*
*Hunc sensêre pium; nec te ratione magistrâ*
*Imperium moderari hominum regina potestas*
*Indignata hominem est. Bruti ferus agmina census*
*Adfligit domitor, non hæc feret æthere tecum*
*Natus homo; fortuna licet distinxerit aulas:*
*Heic imitare Deum, & quantum potes aspera junctim*
*Exoneres miseris onera, ut fert regius ordo.*
*Nil virtute tenes placidâ, generose, benigni*

 *Sua-*

*Suavius adfectus. Quæcunque bona altera servas*
*Dum frueris periêre palam; aut spes longa fruenda*
*Destinat ancipiti voto. Clementia quicquid*
*Dia jubet, secum præsentia præmia portat.*
*Et facto à primo longum rata servat in ævum.*
*Tot gratantum, ac imâ, e penita producta, merentem*
*Vota mage adjiciunt quam celso adstructa metalli*
*Congeries arcana rogo: venit inde voluptas*
*Omnibus exterior, nulli æquiparabilis ausu,*
*Proxima Dijs superis, & nullo fine beata:*
*Per medias curru sublimis ubi ingruis urbeis*
*Poplitibus flexis late venerantia cernis*
*Agmina te ex animo; Servati gloria civis*
*Pectore te ex omni, gradêris quocunque, salutat.*
*O cæcos proceres, quicunque in sanguine quærunt*
*Firmamenta aulis, & majestate tremendâ*
*Attonitos populos, adverso sidere, terrent.*
*Exosos fremuêre domi, quos spernere vultu*
*Mentito discunt, præscriptaque munia solvunt*
*Artificis, veræ neutiquam mentis, honoris,*
*Numquam conveniunt, nec in unâ sede morantur*
*Trux Metus & generosus Amor. Quem pallidus odit*
*Ut meritum, numquam illum animi securus amabit.*
*Exedit adfectum crudelis & omnia solvit*
*Iura timor, quæcunque aliâ virtute intescas*
*Tabet in occursu funesti fracta furoris,*
*Seque ipsam ignorat crudelibus obruta flammis.*
*Omnia cum proprio nequeas componere princeps*
*Robore, sic alacrem demitte in singula sensum*
*Ut norint te scire suos procul indice motus.*
*Hæc animum in vulgus divinæ tradere famæ*
*Incipiunt, cum regna vident se Iudicis alte*

Conspe-

*Conspectum vitare omni nescire latebrâ.*
*Scilicet assiduo Doctrina volubilis usu*
*Momina deprendit rerum, quæ nobilis intra*
*Concoquit, in succumque suum conferre videtur:*
*Unde potest facili peccata latentia visu*
*Prendere, & argutis mentem exercere Camœnis.*
*Divinæ ut populos persuasio mentis hianteis*
*Extrahat in cultum, & mandata facessere cogat.*
*Disce altam Historiæ seriem, quæ tempora longos*
*Dividit in numeros, numerisque hærentia fixis*
*Gesta canat. Quodcunque ferox rota casibus omneis*
*Patrat in effectus fortunæ, & momina rerum*
*Mille modis variat: non sunt nova prælia fati*
*Consilium contra, dudum Dea mobilis illo*
*Vexavit proavos, ritu, studioque potenti*
*Corrigere obstantes, & declinare procellas*
*Admonuit: Mutata nihil mortalia voluit*
*Fabula, personis solum nova facta figura est.*
*Mimus ut in scenâ variabile vulgus in unum*
*Deducit ludum, & vertente volubilis anno*
*Historiam exercet variatæ plebis, eamdem*
*Ingenio. Quodcumque potest Prudentia longis*
*Expertum seclis usu, suadente magistro,*
*Scripsit in actarum completa volumina rerum,*
*Et dedit augendum sero, testata, nepoti.*
*Omnia cum unius hominis breve nesciat ævum*
*Exhaurire usu, atque ærumnis discere longis,*
*Divinus labor est, merito data gloria perpes,*
*Diruptum sacris, ævum compingere libris,*
*Ut sciat altorum longe repetita parentum*
*Gesta Nepos, patriisque intersit cominus actis.*
*Quod si ignara procul coleret sua secula saltem*

 Poste-

*Posteritas, homini vix quicquam bellua victu*
*Tantum intenta suo stupido distaret ab æstu:*
*Sed stimulant Exempla aciem flagrantia sensus,*
*Incenduntque alacres adjecto fomite motus.*
*Præcipue qui fræna tenet, qui celsus habenis*
*Imminet in genteis, & nutu secula torquet,*
*Facta patrum cognôsse decet. Quid regia vili*
*Sanguine nobilitas fracto differret honore*
*Maiorum in Speculis nisi facta potentia monstret*
*Historiæ generosus amor? Quæ prælia ferro*
*Expedijt Mavors, blandâ quæ pace Minerva,*
*Discit ab intuitu proavûm, cernitque monenteis*
*Eventus librans, & respondentia dictis*
*Fata notans: Iuvenile malum, temerarius ardor*
*Clauditur, infelix cum monstrat numina casus*
*Adversare furori, atque æstum expellere vento:*
*At metus instabilis, & mens concussa tumultu*
*Fortunæ capit altum animum atque improvida castris*
*Agmina præcipitat certam sperantia palmam.*
*Cum scrutatur avos, Exemplaque discit agendo.*
*Nec solam hanc partem doctrinæ attingere velox*
*Ingenij princeps velit aut hac sistere metá*
*Ignicolorem æstum. Longe secreta tenebit*
*Abdita linguarum, ne quid cum interprete peccet.*
*Heic tibi posteritas Hassum longæva LEONEM*
*Mauritium Armipotentem & sanctæ pacis amicum,*
*Offero adorandum, & longè vestigia lustro*
*Numinis humani. Quid enim fortissimus Heros*
*Ignorare potest? Non sunt quærenda tenere*
*Quæ te, Dive, canam, sed quæ nescire fatebor;*
*Ista quidem invenio nusquam. Te septimus orbis*
*Disciplinarum, sine fine, novissimus, olim*

*Advi-*

*Admisit consultum artis, quæcunque doceri*
*Mente potest, animove, Deorum interprete, disci.*
*Tu divina tenes, & ad unguem, scripta, subactum,*
*Digeris in numeros; humana recondita si quæ*
*Servat, & à vulgo, sapientia, servat inerti*
*Omnia nosti unus; non te natura latendo est,*
*Non magni secreta poli, numerosque polosque*
*Mensurasque tenes, te circulus omnia gnarum*
*Euclidæ monumenta canit, Logicosque meatus*
*Ingenij, eloquijque arcana Emblemata nosti.*
*Nec tecum ut serves, scriptis compendia monstras*
*Vsibus humanis: Quantum Parnasia tanto*
*Culta sonent mysta, & phœbæa interprete laurus*
*Longe alij poscunt numeri, mirare potentem*
*Omnibus ingenij meritis, & carmina laxa*
*Pieriosque sonos, & totum Helicona savendo,*
*Posteritas, tantis ultrò subsidimus actis.*
*Exemplum sero divum tu trade nepoti*
*Illustri in speculo, & similes rape numen in igneis.*
*Bellica cum rapidus furor impote classica legum*
*Iure ciet, procul imbelli Lanx exultat ære*
*Iusticiæ, ferroque insana ardescit Erynnis.*
*Hoc opus hic labor est sanctæ pietatis habenis*
*Audacem moderari animum, ne nescia justi*
*Tempestas cum pace simul propellat amorem*
*Virtutis placidæ; medijs Clementia signis*
*Regnet, & adversis moderata Leonibus alas*
*Purpurearum Aquilarum, ipsa in ferventia castra*
*Explicet imperium. Stricto cum Martia ferro*
*Regula compescat Bacchantes militis iras*
*Parte aliâ miti florens prudentia vittâ*
*Corrigat exemplis, non opprimat, arma severa:*

*Omnia pro rerum latè variante tumultu*
*Momina cum flectant animi, normamque remittant*
*Exacuantque iterum. cunctos Clementia servet*
*Indefessa comes gressus; non aspera pellat*
*Hærentem Sortis facies, Pellacia numquam*
*Lætitiâ stupret facili, atque undantia fundens*
*Munera, diripiat, furiisve insignis acerbet.*
*Hæc natura virûm est, qui celsa ad sceptra creati*
*Torquendis præsunt populis, nutuque gubernant:*
*Nec te civili patiar pugnacia caussâ*
*Castra sequi, aut ferrum cognatâ tingere cæde.*
*In facili labor est Mavortia protenus arma*
*Induere, & stricto furias explêre furore,*
*Et curvam in gladios necquicquam vertere falcem:*
*Sed retro ire grave est, succensa ferocia gliscit,*
*Quique bonâ quamvis concedit mente parumper*
*Viribus armati, vel jam convictus habetur*
*Ludibrio, vel certè alia ratione putatur*
*Vincibilis. Tentare decet prius omnia, ferrum*
*Quam capiat non lenta manus: dare jura furori*
*Difficile est, cum jam candens Audacia rumpit*
*Per mediæ Rationis iter, frustrà instat inermis*
*Et longè retinet casso, Prudentia, nisu.*
*Sed pia cum virtus flammata potentibus ausis*
*In genus exsultat Arabum, qui Thracia Roma*
*Excussêre novæ crudeli sceptra tumultu:*
*Gens sitiens olim Christiani sanguinis, ex quo*
*Sergius, infelix in fortunata doloso*
*Subjecit conata seni. tunc parcere nulli*
*Et stirpem exosam radice excindere mandem.*
*Donec ad omnidomarum ingloria luna residat*
*Sceptra aquilarum ultrò & maleraptum reddat honorem.*

Heic

*Heic justos vindicta ultrix consurgat in enseis*
*Expellatque latronem Asiâ, qui tertia mundi*
*Servili incubitu necquicquam regna fatigat.*
*Martius hic stimulis flammetur agentibus ardor:*
*Insidiis, virtute, dolo, vi, fraude, rebelleis*
*Præcipitans populos, & jam labentibus instans.*
*Acer ut hostileis Christo populare maniplos*
*Epiri Dominus, dum fata Deusque sinebant,*
*Castriota ingenteis nutu turbare coborteis*
*Sanguineaque oculorum acie præsignis, ad alti*
*Cum faciem Herois longis Equitatibus alæ*
*Diffluerent campis, præpes Victoria cœlo*
*Respiceret Iuvenem & chari se inferret in armis.*
*Vel sacer audendi Hunniades, vel Suendius Heros.*
*Illustreis meritis, Domini tutatus uterque*
*Armata populum pietate, & fortibus ausis*
*Nomina quorum æterna alacri complexa favore*
*Fama levat procul & sublimia portat Olympo.*
*Innectens semper florentis serta coronæ.*
*Hos animis hos arte sequi Germania magnis*
*Principibus certet, procul intestina suorum*
*Abstineant odiis atque in peregrina Duella*
*Exonerent bilem laudanda, prælia, cæde,*
*Scilicet è sanctis dudum exturbanda latebris*
*Arce Palæstina & sacræ convallibus urbis*
*Natio fœda fuit, recutitorum æmula Hebræûm*
*Sed non monte pari. Vitiis sata turba colentum*
*Europæ intentat, nec jam sine principe fato,*
*Servitium infelix. Dum forti exscindere ferro*
*Christiadum populi possunt, trahit impius error*
*In diversa viros, & cæde domestica Enyo*
*Disjunctos lacerat proceres. Procul efferus ardet*

 *Ismalidæ,*

Ismalides, pugnisque favet, stimulatque remissus
Pacta infida ferens, jurataque numina ridens.
Non secus ac longo stimulatus amore cruoris
Vultur, ubi ex altâ pugnanteis despicit æthrâ
Alipedes cervos, quacumque inclinet, utrinque
Prædam offert dubio titubans, victoria, talo.
Plaudit utrique alis, sociosque in pabula poscit,
Sæpe adeò amborum prostrata cadavera pugnax
Obtulit exsultanti odium, dum neutra remittit
Pars aciem, adversæ manenti in vulnere fixam.
Non ita sancta manus proavum, sed fervidus ardor
Cæligenæ pietatis in opposita arma feroceis
Abstulit & longo possessos tempore campos
Excussit Dominis imbellibus. Acria Christi
Fulmina pro gregibus, ipsa in cunabula regni
Monstrum infortunatum ingenti mole secuti
Eruerunt latebris, & purgavêre cavernas,
Quondam altorum habitacla Deûm, nunc lurida dira
Antra lue, sævumque receptacla atra luporum;
Pallidus excessit templis, longèque sequenteis
Respiciens, procul abscessus rimatus opertos
In patrias tenebras, & subterranea claustra
Speluncasque, Latro, rediit · post fæda duella
Intestinorum bellorum, & civica Erynnis
Excivêre iterum, donec data aperta potestas
Dissidiis procerum, sceptris admisit inertem,
Armavitque odiis fraterna in vulnera pugnax.
Sedibus irrepsit Divûm, atque Asia Europæis
Evulsit manibus sceptra, irreparanda capessens.
Nunc larem habet sacri stirps infandissima regni
Alterum, & æquoreas qua jungit Bosphorus arces
Degeneres Fixit pharetras, monumenta Deorum.

*Deicit infelix non restituenda latronum*
*Colluvies, arcuque premit sacra arma sonoro.*
*Festinate viri, dudum fera bellua fœdâ*
*Ingluvie tibi rictum aperit, Germania pubes;*
*Quondam adytis ipsis consectatura tumentem;*
*Dum tua fata sinunt, & te exspectantia longè*
*Fila levat Lachesis, contra te accinge minantem*
*Et furiam infandam, penitus penetralibus altis*
*Excute, quæ vestris dudum majoribus ingens*
*Debita diripuit Saracenæ audaciæ turmæ.*
*Omnia, sed quando justo sermone secutum*
*Excutere officia, & monitus signare severos*
*Artifici schedio non est data copia vati.*
*Sit brevis in numeros, & amicus finis Apollo*
*Non enorme trahat completo margine Carmen.*
*Terga super, faciatque dicacibus ardua sillis*
*Materies longæ plenos loligine libros.*
*Parva loquar, strictimq; sequar compendia versu.*
*Sis pius in primis; quod habes dedit almus Olympo*
*Imperium rector; qui cum te legibus altum*
*Præposuit regem, jussit parere jubendo.*
*Subjecitque sibi pariter cum plebe regentem.*
*Ut procul excelsi speculatus mœnia mundi*
*Aeterna pietate regi, cultum ipse Tonantis*
*Proferret terris, & sanctam in secula ferret.*
*Numquam injusta patres: de majestate jubentis*
*Adsumunt leges pretium vitamque figurant.*
*Qualem vis populum, talis sis ipse decebit.*
*Nullus adulantum facata bilinguibus ausis*
*Dicta sinas penetrare animum. Sta fortior in te*
*Consilioque tuo. Sed ne senioris amici*
*Fastidire velis studium, licet ille tepenti,*

*Flagrantes*

Flagrantes stimulos adsit ratione domare.
Nec bellum moveas temere, quæ prælia ventus
Asperat ex facili, lento spiramine servus
Composuisse potest. Nec te fuga mobilis ævi
Subtrahat historiæ studiis, decora inclyta Patrum
Ex libris repete, & vitæ cautus usibus apta.
Temperies animum nullis placidissima frangat
Turbinibus. Procul incerto te examine contra
Spes stabilem videat, metus & malesana cupido
Vulgareis subeant animos. Tibi consilius intra
Te compone viri. Fortuna volubilis extra
Concutiat muros, & portas ariete quasset,
Dum tecum contentus eris, plorabile numen
Ridebis contra. Nemo tua regna quietæ
Excutiet sancta; Veræ pietatis amator
Absolves tecum imperium. Speculata tumultus
Attonitorum hominum, longè, mens celsa, recedat
Vt patriæ memor, & solum spe exspectet olympum.
Si qua humana opera & subjecti regia mundi
Exposcent divinum animum, contagio rerum
Exsulet à vultu, longè prudentia visu
Præcipiat morbum, & vix cognita vulnera sanet
Nec pendente manu tamen; Officii hora severi
Admoneat quævis. Semper tuba Martia cantum
Auribus intentet patulis, quo functa resurgent
Corpora humo, strictique acerrima judicis urna
Exiget ad normam mortalia facta Deorum.
Non illic erit imperium terrestre, nec ardens
Nobilitas, plebis contemtrix strenua, non vis
Custodita gravi pectorum te undique circum
Excubia, strictusque ad nutum principis ensis.
Non te blanda malis, vitanda Licentia raro,

Extrahat

*Extrahat in licitum, dum spes audacia facti*
*Præcipitat, longeque silet cum vindice pœna,*
*Intellecta parum. Sed mentem mitis honestas*
*Compositusque regat decor, & generosa potestas*
*Ipsa sibi metas, ultra quas nolit abire,*
*Præfigat, nullique trahenti in cætera credat.*
*Sit thalamis servandus honos, nec sanguine magno*
*Vulgareis læsisse toros leve crimine habebis.*
*Quicquid in excelsis majestas regia sanctum*
*Esse jubet sceptris, & lamentabile vulgo*
*Præscribit facinus, peccanti in jura Deorum.*
*Nec perit in populo; certè sator omnibus idem*
*Communesque usus vitæ, legesque piandæ*
*Criminis exemplo. Non jura potentia mutat*
*Sed respectum hominum. Paucis quæ cognita vilis*
*Peccavit persona domi, latebrosus in imis*
*Despectus cuneis à scena servat herili.*
*At cum magnanimus clara se lucis in aula*
*Exsuit in facinus princeps, tuba carmine claro*
*Auritum accersit populum. Nec fervida Solis*
*Omnividos poterit radios abscondere forma*
*Nec rex facta potens. Quacunq; it, mille sequenteis*
*Abducit vultus, qui de vice noctis opaca*
*Clara vident facile, sed lucis ab igne superbo*
*Dispicere in tenebris faciunda aut facta, profectò*
*Difficilis labor est; quo dum sua pondera librant*
*Sæpe palam turpi peccant examine reges.*
*Invitos etiam splendor suus egit in ora*
*Lucis, & absenti nequeunt secedere vulgo.*
*In pœnas descende vigil, nec judicis in te*
*Personam pigeat pro re transsumere nata.*
*Nolentique manu, nec uti gaudere cadentum*

*Spe videare atrox vanâ, subscribe cruentis*
*Morticini chartis gladii. Preme longa tacendo*
*Vota virûm, nec te, verum utere vindice tecum*
*Justiciâ, exemplisque cave ne fortior intus*
*Innocuum juguiet latro, ne pœna jubentis*
*Crescat ab imperio, aut mandantis sentiat ictum*
*Qui perit: invitus, cupias cui parcere, tandem*
*Trade neci; ut perfecta omni Clementia parte*
*Afferat ultricis titulo, pia pectora, veræ*
*Libertatis amore, sibi crudelia culpa*
*Imperia excutiat domito virtutibus orbe.*
*Omnia quæ magni complectitur orsa tonantis*
*Regula, principibus plebique tenenda sub illis,*
*Clauditur exemplo. Fieri tibi quicquid ab omni*
*Parte cupis, facias aliis: Custodia normæ*
*Hujus ab injustis, justos dispescere mores*
*Et jubet, & sancit mandata sequentibus actis,*
*Hanc homini inculces, & sic tibi proximus esto*
*Ut vis quemque sibi. Sociato humana pericla*
*Fortunam contrà Ratio sic strenua pugnat*
*Et victrix utrimque redit, seu bella fatigent*
*Civica, & affectus an fata domestica rumpant.*
*Hostica seu variis acies instructa maniplis*
*Instabileis divos alta in conata lacessat.*
*Qui mundum pietate regis, te pendere vili*
*Ut magni contrà fias, moderantis olympum*
*A ratione, decet; Vario qui dia paratu*
*Munera in indignos cælo pluit arduus alto*
*Terrasque, tractusque maris, miserosque colenteis.*
*Hunc rapidum alloquio, leni moderare, furenteis*
*Ut canis Erigonæ stellas, placidißima venti*
*Temperies domat, & pio amicat flamine flammas.*

*At tepidum intuitu pleno virtutis in acta*
*Proritare velis. Si quis riget, arduus illum*
*Erigat à Domino, & cineres sacer excitet ignis.*
*Nil ad virtutem facundius urget herili*
*Adspectu famulos, & quo mage liber in illis*
*Spiritus, adfectant Domini de moribus in se*
*Particulam uberius; Laudata industria coram*
*Crescit, & ex oculis haurit, cita principis æstum*
*In meritum excellens animi. Qui cuncta gubernat*
*Imperiis aliorum, & se componit ad horum*
*Arbitrium, in populos contemtum proferit ex quo*
*Vilescat non sponte viris. Coram ardua gesta*
*Contemplare pôtens, & quæ correcta jubebis*
*Exige per te ipsum. Longè servilis abibit*
*Planctus adulantum cum quid nutabis, & extra*
*Crimina te statuent, cum non peccabis, amici;*
*Si constantem animum, si pectus in ardua restans*
*Conspicient, testemque adverso numine regem.*
*Hoc mundum pater ipse doce, sta cominus in te.*
*Quos splendore domas, virtutis opimo longè*
*Præripiat sceptris, atavi, faciatque fideles.*
*Talis eris cum Marte foris tum Pace domi, ne*
*Sentiat absentem aut præsentem nesciat orbis.*
*Hæc ubi contemtus illud temeraria monstrat*
*Credulitas, firmâ nequaquam Regia mole*
*Nititur in præceps & spe vicina ruinæ est.*
*Plus amet armatum quicunq; veretur inermem.*
*Nec si fortunæ levitas temeraria contra*
*Constiterit, rabiemque adversam objecerit horrens,*
*In tua membra redi furiis. Humana magister*
*Casus agit, trepidoque huc atque huc turbine voluens*
*Implicat, haud ideo numen quia desit Olympo.*

*Sed*

*Non hanc vilis opum cumulus, ludibria sortis*
*Vana movens, pariat, ne paupertate supinâ*
*Intereat. Sæpè instabili Fortuna tumultu*
*Nitentem contra summa virtute retundit,*
*Hunc sursum regale putes duxisse, manumque*
*Inucere in sortem, & meritis æquare decorem.*
*Nec te posteritas pravis quæsita fatiget*
*Artibus, aut magnis æquata potentia regnis*
*Terreat, e solio quam præcipitata tenebris*
*Impietas caput anguicomum mergatur amaris;*
*Turpia subsidant operi perjuria casto:*
*Fulgidus insidias contra Martem ensis apertum*
*Exigat; Ille licet longo jam tempore felix*
*Officium expediat, nec in ullo peccet amussi*
*Haud stabile auspicium tamen impetrabit Olympo,*
*Qui struxit vitiis cumulos, atque improba regni*
*Instrumenta tulit. varo pede constat, ineptum*
*Fortunâ renuente locum servare, malignis*
*Quæsitum Imperium insidiis, & fraude novercâ.*
*Privatis ignosce odiis; Sanctissima quamvis*
*Majestas Domini, fundamentumque severæ*
*Iustitiæ est, cujus humanos ordine moreis*
*Regula composuit, mutatque mapalibus urbes.*
*Est tamen adspectus læsi gratissimus, in quo*
*Spes veniæ est, omneisque timent offendere, qui se*
*Largitur paucis, nec inexorabilis horret*
*Vltima te quovis curarum nomine prima*
*Mors subeat; velut umbra diem comitattur euntem,*
*Sic animas hominum vitia irremovenda sequuntur.*
*Hanc tu ut amicam habeas, nil indulgeto volenti,*
*Sed se teste premas. Quamvis oblita redonet*
*Crimina, & obdenset nebulis suffusa piacla.*

*Cum te judicio tamen insuperabilis urna*
*Sistit, agens stimulis, Animus te primus inermem*
*Configet jaculis, & qualia quaeque patrasti*
*Talia depinget memorans, contraque nocentem*
*Ipse nocens vemet, perdat periturus ut omnem.*
*Hunc quacunque potes generoso corde caveto,*
*Supremae memor usque horae, quae condita tandem*
*Solvet & in proprios ortus, Elementa, reducet.*
*Hactenus excubiis & magna splendidus aulâ*
*Distiteris humili vulgo. Dein turbine eodem*
*Sutilibus tabulis, & pullâ inglorius alno*
*Navita permiscet plebeis manibus umbras*
*Magnorum indigentum, & compensat fulmina naulo.*
*Cum Domini ad sedem nudus praestabis, & extra*
*Splendorem ingratum; nullo te circite circum*
*Armigeri assilient, fidusque in praelia mucro,*
*Sed cinere exutum, & pallentis origine limi*
*Perpetuas plenum in flammas miserabile corpus*
*Agnosces spoliis, si qua delicta merentem*
*Excutient superis, & jam non mobilis ultor.*
*Dum licet, haec perpende tibi. sua quisque vocatur*
*Ad bona, si bonus est. Pravum sua crimina quemque*
*Damnabunt pro se. Non est audire redemtam*
*Ullam animam cessisse animae, nec ferreus ordo*
*Siverit, in chari facinus transponere amici*
*Insonteis etiam poenas, & vertere fata.*
*Ah miseri, & quisquam sperat quoque talia? Contra*
*Se sibi quisque furit, tamquam dirissima pestis.*
*Praecipitem abiiciunt miseri cum bile salutem*
*Nec nescire datur; perdunt pereuntque volenteis*
*Irridentque pios, & caeco emblemate plorant.*
*At grex, Christe, tuus, sacro agnoscendus amari*

Contemtu

*Contemtu mundi, & surgentibus undique pœnis.*
*Te Dominum firmâ ultorem prece servat Olympo.*
*Supplicibusque suis gaudet, contràque ferendo*
*Insurgit furias, hostique ignoscit acerbo.*
*Da proceres vanis nil quicquam fidere regnis,*
*Te colere altorum regum dominumque patremque,*
*Quos proprio æquasti terrarum in sceptra potenteis*
*Imperio: ut justis reverenda potentia metis*
*Cogeret in moreis orbem, pietasque nefandis*
*Tuta procul vitiis, sancto floreret honore:*
*Hos rege, & à rectis populos da discere rectum.*
*Vt tandem pedibusque tuis, manibusque tuorum*
*Subditus unum omnis Dominum te agnoscat, & in te*
*Perpetua vigeat pietate novabilis Orbis.*

FINIS LEONIS.

C. BARTHI
# ZODIACI VITÆ CHRISTIANÆ.

## LIBER VI.

## QVI ET VIRGO.

*NVnc tibi florentem insigni fulgore puellam*
*Depingam numeris, sacrataque sensibus altis*
*Evoluisse potens adyta, & penetrare latenteis*
*Egregie thalamos virtutis, amabile carmen*
*Ordiar, illustri florens pia tempora lauru.*

*Vnde parem cœlo cernens splendere mtelam*
*Componas tete ad cœlestis monima formæ.*
*Atque ecce ardentem stellis faciem, aurea circum*
*Virgineos vultus lucentia sidera, quali*
*In magni domibus clarè spatiatur Olympi*
*Iustitia, æterno species cognata Tonanti,*
*Fulgentem retinens gladium, atque exanime librã*
*Compescens utrimque pari, ne saucia peccet*
*In latus aut æquo deliret ab ingenio Lanx.*
*Hæc te forma monet, superos accedere rectâ*
*Indole, nequicquam rerum mutare tumultu,*
*Barbara cum longo quassans immitia pulsu*
*Fata, facem instabilem Fortuna potentibus obdit*
*Ingenii stimulis, atque aptum ad magna retundit.*
*Condita priscorum libris Sapientia vatum*
*Quæ numero obscuro cæcisque incincta tenebris*
*Seposuit vulgo Divûm mysteria, quà se*
*Tollere humo potuit, sanctæ rationis egena.*
*Quam pater omnipotens primi post tempora lapsus*
*Oppressam in longa perpessus nocte latere est,*
*Et sua post veniens speratis gloria seclis*
*Erueret latebris, solique inferret aperto.*
*Omnia cum longis divorum millia libris*
*Finxisset, miris que vocabula condita dictis*
*Naturæ, innumeris ambagibus arcta teneret.*
*Nec tamen errantis nosset tot monstra figuris*
*Eruere, arcani motus, qui secula certa*
*Lege quidem, instabili tamen hinc atque inde rotaret*
*Turbine, nec quoquam pateretur sistere contrà*
*Ordine: Fortunæ numen finxêre Poetæ,*
*Quod neque perpetuò pugnax Constantia sensu*
*Nec longè sollers rerum Prudentia, nec vis*

*Armorum adverso excipiens grave pectore bellum*
*Vinceret. Hinc quamvis tot agentia motibus orbem*
*Sidera compositis, alti domus incluta Olympi,*
*Aequoraque, spatiusque jacens declivibus intra*
*Terra, parens frugum, & sibimet devincla catenis*
*Imparibus paribusque, tamen Natura, Deorum*
*Testaretur opus, casumque elideret ordo:*
*Insiluit tamen in bijuges Sorsque alta triumphum*
*Duxit, ei æternas Animas confusa voluntas*
*Subjecit hominum, procul à ratione vagantum*
*Veridica, jußitque ignaros condere caussæ*
*Cæcum animi numen, quod stans super orbe rotundo*
*Spes hominum ingratas, & vota insana moveret*
*Ad libitum. Nam cum Virtus collisa duello*
*A vitiis victa est, & lamentabile lethum*
*Tot proceres subiêre Deæ, quos strenua honestas*
*Pestibus objecit morum, pietatis avitæ*
*Cultor, ubi in misera senuit malè nobilis umbra;*
*Impius, &, solo metitus robore divos*
*Constitit in celsa fati spectabilis arce,*
*Conclusêre viri, vel numina nulla supernis*
*Præsidiis hominum disponere vota, vel illa*
*Esse nihil penitus: vel si qua illa esse putandum,*
*Abdita se in placida secum versare quiete,*
*Nescia bacchantis circum loca terrea Sortis:*
*Quæ mundum indocilem, & cæcis ambagibus aptum*
*Distraheret, caussasque omneis extingueret hærens*
*Principiis vitæ. Dominam quam mollis adoret*
*Ardor opum, cumulisque exstructa potentibus auri*
*Aula parens vitiorum. Hæc læto turgida vultu*
*Indueret populos, vitæ patrona beatæ,*
*Excuteret tristi adspectu florentia late*

 *Regna*

*Regna viris; contrà niti pietate decorum*
*Quippe fatebantur, sed inutile prorsus habendum.*
*Cum quicquid studiis miseri infelicibus ultrà*
*Auderent homines, lubitu Dea luminis orba*
*Torqueret sine mente vago: rota turbine quali*
*Excutit obtutum, & se pulvere perdit aperto.*
*Quadrupedum cursu speciem mutata volucri.*
*Nec potuêre alio diversos carmine motus*
*Concipere aut rerum tristeis componere raptus*
*Scilicet instabili volitantis fulmine casus*
*Constantisque loco, Fati, & sua jura tuentis,*
*Unde retrò multis errorum ambagibus acti*
*Principiis vanos struxerunt vilibus ortus.*
*Immensumque chaos, dominamq́; utrisq́; dederunt*
*Luminibus viduam, ut cæco primordia nexu*
*Exuerent rationis opus, tumidoque supinus*
*Casus in incertos rueret moderamine nisus.*
*Hoc medium numen præterque homines Deosque*
*Inter utrosque sedens prudentis acumina mentis*
*Luderet & dubios eventibus adderet æstus.*
*Quicquid ab exemplis & nomine vertilis usus*
*Exstruerent proceres, Sapientia quæreret audax*
*Ambages per mille domi, tamen improba cursu*
*Ancipiti quateret vario Fortuna tumultu.*
*Huic inversa dabant causas, erectaque latè*
*Imperia in pugnas quicquid Constantia posset*
*Martia, suppositis genibus venerata potentem*
*Sortis agôna, retro dubio pede cederet ex se;*
*Quidquid in illustri stabilis Prudentia posset*
*Consilio, sine successu data vota retrorsum*
*Proruerent secum, premeretque audacia mentem.*
*Ergo animis quicquid dubiis hinc inde moventium*

*Casibus*

*Casibus adversis & inexplicito ordine fati*
*Nunc huc nunc illuc cæca ratione rediret,*
*Instabilis Fortuna fuit. Data munera cujus*
*Imperiis bona cum nescirent dicere, quippe*
*Incertà subnixa rotâ, mala credere nondum*
*Mortales poterant, quia dum possessa tenebant*
*Felices sese facili rebantur in usu.*
*Cum repetita aliò exierant, miserabile murmur*
*Iactabant ventis & cor sibi turpis edebat*
*Mæstities; unoque omneis mortalia casu*
*Clamabant versari homines, aciemque nefandam*
*Pronus adorabat pellentis numina ferri*
*Quod Fortuna tenet, quisquis se viderat inter*
*Infortunatos exciso flore relictum,*
*Qui modo vel forti retinebat grandia dextrâ*
*Sceptra, vel in solio consederat altus avito.*
*Scilicet in facinus hinc ducta licentia frænos*
*Laxavit vitiis, cum numine nemo vidente*
*Crederet incertos hominum consistere mores.*
*Sed turpem informam convolveret omnia sortis*
*Planctibus innumeris magna argumenta retexens*
*At virgil Omnipotentis heri cura, omnia nutu*
*Temperie moderata gravi, se credidit orbi,*
*Purgato super omne aliud visum inque videndum*
*Fræna tenere manu, & cæcos excludere casus:*
*Provida dum rerum certo sese ordine fassa est*
*Annexas caussis caussas inducere cœlo.*
*Interea ne quis dictis hærere recuset*
*Facta dedit miranda homini; sic æthera pinxit*
*Altividum flammis, & Solem lampade jussit*
*Annuregos torquere orbes sine fine diurnâ.*
*Nocturnasque operas sociæ concedere lunæ.*

*Ipse sacros vultus celso Deus auctor Olympo*
*Exerere & Terras late vestire videtur*
*Egregio intuitu: cum nocte exscendit opaca*
*Lucisatumque diem post nubula reddit Apollo.*
*Vt quæ fessa situ & tristi defuncta sopore*
*Corpora decumbunt tumulis in mollibus, ultrò*
*Exsiliant, croceis Tithonia nymfa capillis*
*Cum procul e thalamo florens consurgit Eoo.*
*Et vitam cum sole refert, squalentibus umbris*
*Exsuitur Ratio & mundum emendata salutat.*
*Nascitur ille novus, dumque otia mollia ducit*
*Restituit se è, & multo lassata labore*
*Membra die reparat. Mens ipsa infusa supernè*
*Cum radiis vegetos mortalibus integrat artus;*
*Atque animas reficit. Vicibus cum strenua certis*
*Pensa operum detexta videt Sol aquore currum.*
*Mergit, & alterno reparat dispendia lucro.*
*Tot flammæ quarum pater est Phœbeius ignis*
*Ipsaque fraternis mutatrix Delia flammis,*
*Sunt Hominis fixa quæque in statione ministræ,*
*Imperioque adsunt miseri; ut miratus habenas*
*Luciferi currus Dominum collaudet in illo,*
*Et pro mandatis trahat omnipotentibus ævum*
*Succedatque sibi, vacuis dum sufficit ex se*
*Sponte locis prolem, consumptaque secula reddit*
*Substituens sibi se, sibi post sua busta superstes:*
*Atque operum hæc minima est per quam se cura videndam*
*Dia oculis obicit. Quid enim? si secula certis*
*Sol agat ordinibus, generatimque omnia lustret.*
*Quid si scintillas cæli omnipotentis opertis*
*In subjecta venire canas influxibusque, atque*
*Quadrianimem mundum divisis flectere regnis?*

*Vt*

*Vt super incumbens animasque in sidera largis*
*Partita spatijs mens omnia circite pleno*
*Torqueat, atque uno rerum regat omnia fato?*
*Non contentus eâ casus ratione vaganteis*
*Exclusisse pater, per singula numen amicum*
*Corpora commonstrat, diribitque ingentia mundi*
*Fata etiam in quovis deprensâ homine: Omnis in altis*
*Cura natet cœli flammis, ut sidera textu*
*Perspicuo rata decurrant compendia legis*
*AEthereæ, Terras, pontum, aera, cæca metalla*
*Atque abstrusa regant herbarum robora, silvas,*
*Lunaque maternis stata compleat arbuta venis,*
*Divinosque homines, & queis homo numen habendis,*
*Atque eadem certis rata depleat omnia metis.*
*Non hæc summa Dei est. In singula corpora regnat*
*Fataque fortunasque & tempora dividit illis.*
*Millia quot primus mundi nascentis ab annis*
*Participem vitæ flexêre a carcere currum*
*Calcis ad extremæ spatium, insuperabile cursu.*
*Quisque suis vixêre modis, stata cuique vigoris*
*Præcipiti fixa est inopinæ meta senectæ.*
*Donec ad ultima puncta per alba atque atra penetrans,*
*Impegit fini, &, qua terminus obstetit, hæsit.*
*Consilijs nil fata suis peccare dederunt,*
*Quin ubi mortaleis vel maxima quæque caducis*
*Proposuere sibi votis, incidere molem*
*Turgentem bullis forfex properabit acerba.*
*Vt constent superis certi finesque modique*
*Ordinibus, ne possit eos mutare voluntas*
*Imbellis pueri, qui corpore debilis ægro*
*Spirat in immensos insana ferocibus ausis.*
*Fata Deos, operique suo sese imputat auctor.*

*Cum longè teneat sine luce vagantis habenas*
*Omnipotens, cursusque viri miseretur inanes.*
*Qui cum præcipiti jam fulmine lethifer arcus*
*Vibret, & intentet non evitabile telum*
*Ipse tamen volat in lata spacia efferus æthræ*
*Spe tumidus, bigas fera Gloria vertit in ignem,*
*Quem procul insigni rimatus lumine fama*
*Tangere non potis est; rapiunt retinacula currum,*
*Et quadrupes ruptas ferus indignatur habenas*
*Excusso moderante domum retulisse. Quod instat*
*Nemo videt; oculos ludunt vaga somnia hiantes.*
*At cœli in medio juxta flammasque locumque*
*Frigoris egregij, queis mixta Elementa cohærent.*
*Eximiam formâ speciem, & variantibus alis,*
*Virgineam speciem mediâ in regione notabis:*
*Stamina ducentem fusis, & tempora rerum*
*Scribentem æthereis oculis, queis nascitur ignis,*
*Cujus ab intuitu currentia secula florem*
*Arripiunt, seseque æterna in gaudia comunt,*
*Gramine purpureo, & numquam marcentibus umbris.*
*Virginis afflatu superæ generosa vigorem*
*Perpetuis sociat rebus, Clementia, largis*
*Exundans fluvijs, & gurgite prodiga denso.*
*Hac sine nec fidas servent Elementa catenas*
*Nec numeris exscripta suis, & mente perenni*
*Omnia conservans sibimet Concordia constet.*
*Sed vetus & longis hostis immanior iris*
*Vno omnem involvat Rationem & sensa tumultu,*
*Infelixque chaos, & tartara misceat astris.*
*Qui cum cœlesti primum foret aptus honore*
*Vultibus æthereis, dominique ante alta satelles*
*Sidera purpureis thalamis vigilaret, & ingens*

*Ornamentum aulæ superis fulgeret in armis.*
*Squallidæ nunc stygijs exercet sceptra lacunis*
*Luridus, & fatis pugnat teterrimus ales.*
*Non illum invidiæ stimulis, non nocte perenni,*
*Turpibus aut maculis aut dirâ in secula pœnâ*
*Exsolvet Pater omnipotens; quia vertere retrò*
*Vota nequit, odijsque atrox immanibus inter*
*Mortaleis nutrit Furias, & sidera contrà*
*Infandum pugnare ruit: super omnia lethi*
*Conscius æterni, socios ut mergat Averno*
*Quos domini sanguis vitæ novus asserit auctor:*
*Hoc studet his omneis exercet in artibus astus.*
*Vique doloque furens, illum, cum adfectibus ignem*
*Subjecit miseris fovitque libidine pugnax;*
*Frustrà adeo tendas positis semel undique castris*
*Excutere, aut turpeis maculas delere tegendo;*
*Omnia quin superans telorum examina contrà*
*Corpore cum misero mentem domet ille perennem.*
*Gratia ni Iesu confisa potentibus adstet*
*In vitam meritis, deletaque crimina larvæ*
*Ingerat obscœnæ, & sua pignora sistat Olympo.*
*Hunc nisi terrificum maculis immanibus anguem*
*Stridentemque neces, & vulnera fœda cientem*
*Quæ non humana poterit labor ullus ab arte*
*Sanificis herbis aut fido exstinguere succo.*
*Axe sedens supero pellat placidissima Virgo*
*Dudum omnem excisa spem proruat impius Orco*
*Relligione Deum, & superos immisceat umbris.*
*Illa manu cristas & flammea lumina frangens*
*Debilitat funestum hostem, & sua in antra relegat.*
*Vinctus ubi æternis inter tristissima pœnis*
*Vulnera, conficiat lethum sine morte perenni*

Excru-

*Excrucians obitu, tormentaque torqueat in se*
*Caecis dominis stabula horrendo circum impete grassans*
*Nunc infesta facit, sociosque in crimina quaerit.*
*Virginis est nomen Grajo sermone Pronoia*
*Quod Latio non est conantem includere versu.*
*Nomine virgo novo nisi Prospicientia dici*
*Malit, & ignotis demum succedere Musis.*
*Et veterum longo necquicquam ambita sophorum.*
*In numeros studio, teneri mysteria vatis*
*Sponte subire sua, nec flectere numen ab Oestro*
*Purpurei pueri, sanctâ quem fronde canentem*
*Laurigeri vestit juvenilis Apollinis ardor:*
*Non Aganippei sitientem pocula fontis*
*Thessalave in facileis ducentem numina cantus*
*Sed procul humanis stillantia nectare puro,*
*Fontibus amplexum casta juga lata Sionis.*
*Unde Dei exsiliens puro de pumice Vivum*
*Ambrosiae florem sitientibus irrigat arvis,*
*Rivus, & aeterno foecundat culta lepôre,*
*Fructificis late veniens plantaria circum*
*Cursibus, occultoque arcana in viscera vergens*
*Tramite diomos latices, unde ubere felix*
*Egregio ridet, flos intemerabilis, inter*
*Innumeros calices, quem Virgo aeterna pudicis*
*Decerptum manibus, grati nova pabula odoris,*
*Servat, & in coelo spicum memorabile gestat.*
*Purpureum visu florem, quem laeta juventus*
*Perpetuis facibus nulli marcescere vento*
*Iussit, & assiduis irrorans oscula labris*
*Exemit mortali umbrâ, aeternumque dicavit.*
*Virginis arbitrio dedit alta altissimus auctor*
*Totaque fortunasque & spes incedere cunctas*

Ter-

*Terricolentum hominum; cujus celsißimus ipse*
*Inspirans fatis animam, regit omnia latis*
*Quæ facit imperijs, vitasque effundit in orbem,*
*Sustentatque datas, gremioque amplexus amico*
*Spirituum fovet omne genus; fovet ægra labantum*
*Corpora, quæ certis mors attinet horrida metis,*
*Arbitrio depensa Dei; ne futile lethum*
*Transiliat mortalis homo; neu torrida cursum*
*Corripiat via præcipiti data turbine contra*
*Præfixum cœlo numerum: Sed certa futuri*
*Regula sit lethi, statio incertißima longè*
*Eludat curas hominum, & rata nomina servet.*
*Quæ pater omnipotens mutare & ducere retrò*
*Fronte vel adversa percellere; solus in altis*
*Seposuit sibi consilijs: prece mobile punctum*
*Esse docet sacri dilata in quina decemque*
*Annorum spacia extremo de circite Regis*
*Vitæ: cui sanctos monstravit adorea Mortis*
*Nil non posse viros: Pater ipse sua incluta vertit*
*Consilia Ezechiæque alto superatus amore*
*Spem fidei docuit plenam restantia fine*
*Pellere ab adverso & precibus defendere fata.*
*At miseros certa vetuit ratione tenere*
*Vitai sua quemque arcano tempora casu.*
*Ne genus humanum, (quod cum incertißima norit*
*Puncta trahi, tamen infandos descendit in æstus,*
*Securumque sui tamquam immortale propinquas*
*Exscendit stolido curas ardore tenendi.)*
*Corrueret vitijs, sevamque piacula metam*
*Servaret procul intuitu præsente secutum;*
*Distinctis donec fixos super orbibus in se*
*Cerneret advoluisse dies inamabile punctum:*

*At si*

*Forfice, nil curis brevibus facere, omnia secum*
*Præcipiti cursu traheret; hominesque Deosque*
*Temneret incassum moriturus; ita ordine verso*
*Omnia susque voluta perirent deque repulsa.*
*Constarent nec vita sibi nec Regia virtus,*
*Quæ pœnis tetros vitijs absterret amaris,*
*Muneribus castos & præmia poscit honoris.*
*Omnia quæ humano vivuntur secula mundo*
*Ille timor communis habet cogitque senectæ*
*In studium vitæ; dum floret vivida multo*
*Sanguine, necquicquam patitur, laxata juventus*
*Currat ut in scelera, & trahat in primordia finem.*
*Quisque domi gnarus nihil esse parabile quondam*
*Adfectis senio, & vietæ cum ætate, duello*
*Perpetuò affixis; vigilat florentibus annis,*
*Dum procul exstanteis mortis timor improbus iræ*
*Quottidiè ostendit. Quod si cui fixa dierum*
*Pareret ratio, & numeris sua tempora nosset.*
*Penderent sævis excisæ moribus arteis*
*Nil licitum non esset, & insuperabilis ætas*
*Desperantem animi raperet, traheretque, senectæ*
*Gnarum, in præcipitis damna exitiosa juventæ;*
*Quippe prope aut procul, ut juxta appareret ab astris*
*Hæreret ijsdem pietatis legibus ardor.*
*Sera sed extremam servata piacula mortem*
*Accensere Deo studio meditentur inani.*
*Prætereà gladij cui jura potentia vecors*
*Tradiderit, nil non spacijs sublimibus hærens*
*Permittat sibimet. pater omnia nata recensens*
*Ante sibi, cunctos unà sub lege tenere*
*Mortaleis voluit, unisque exscribere metis*
*Noticiam: nullis discenda laboribus altè*

*Sangui-*

*Sanguine mors latet in misero, & fera tela minatur*
*Quottidiè adducto missura tenacior arcu!*
*Nulla dies certis spondere, superstite voto,*
*Testibus in vitam redituri lumina solis*
*Ipsa valet secura sibi. Qui nescijt hujus*
*Lucis heri fatum, quid crastina lumina portent*
*Ignorat hodiè; sic truditur inscia metæ*
*Vita procul. Tacitis inamœnum fluctibus orcum*
*Menti incerta necis semper via monstrat acerbans.*
*Vtque ratis pelagi quæ credita, debilis, undis*
*Fluctuat, & letho digiti discrimina septem*
*Distat, ubi AEolijs adversa tonitribus horret*
*Vmbræ procul, quavis timet improvisa procella*
*Tela Dei, subterque cavis maria alta cavernis*
*Tristificos rictus oppandere cernit Averni.*
*Templa æterna super cœli stridentibus umbris*
*Fulminibusque vagis lethum immedicabile versant.*
*Aere sed medio Boreas bacchatus ob aures*
*Mortiferum intentat sonitum, cui triga repugnans*
*Horrendarum animarum omnem evomitura videtur*
*In miseræ deprensa ratis tabulata furorem.*
*Sic humana vago malè fluctuat undique vita*
*Turbine, quà versum fragileis defigit ocellas*
*Omnia conjurant, & certi jura videntur*
*Docta necis; quodcunque vides, Exempla ministrum*
*Esse docent lethi: Quicquid vagus ignis Olympo*
*Fulgurat, incertæ telum putat arbiter horæ:*
*Aere quæ vacuo pendent, minitata ruinam*
*Nuncia venturæ veniunt, & sæpè morantem*
*Apportant nutu mortem celerata Deorum,*
*Si quid humus peccat, si quid tuus error in illâ*
*Omnibus infelix lethum timor ingerit actis*

*Fulmi-*

*Fulmine non ullo tingues vestigia quin te*
*Exponas, morti, & ferrum in tua fata ministres.*
*Usq; adeo quodcunque sumus, molimur, habemus,*
*Tela necis inimica ferunt. Nec nobilis hora*
*Unius instat agon, qui de fervore timendi*
*Absolvat miseros & dira pericula solvat.*
*Illius in medijs spaciantis floribus horti*
*Et geniale serenato decus ore moventis*
*Gaudia corrupit coluber calcatus, & ictu*
*Alta levi ad stygios detrusit carmina cætus.*
*Alterius studiis operata tenacibus inter*
*Sanctorum cumulos librorum pectora rupit*
*Orba lues caussâ, nisi quod mors caussa sibipte est.*
*Alter fornicibus camuris, & marmore ducto*
*Sublimeis struxit hinc atque hinc, postibus arceis*
*Suffulcire potens. Uno improvisa ruina*
*Cumque operis dominum, cum speque oppressit honorem*
*Momine; quaque epulis sublimia fecerat auro*
*Exque polita ebore & longo laquearia cultu*
*Infelix tumuli reperit spelunca latebras.*
*Ipsa etiam in veneris mors gaudia misit amorum*
*Funus, & e medijs fractos amplexibus inter*
*Vota patrum, plaususque virum juvenumque Choreas,*
*Misit in obscuram noctem, & funalia sanctis*
*Apta toris, busto jussit dare flebile lumen.*
*Stant procul exanimes & mœsta silentia versant*
*Conditio quos una premit, sibi quisque jacentis*
*Fata timet, volvitque animosa pericula pallens.*
*Non interrupto grassatur turbine juxta*
*Fulmen atrox, flentumque, lubet quemcumque, caterva*
*Eximit, & posito mersat nova corpora busto.*
*Quid quod amara lues hinc atque hinc aere victo,*

Corpo-

*Corpora non curat exſcindere ſingula tabe,*
*Sed totas ruit in turbas, & funera ducit*
*Vrbibus è magnis figens immane tropæum.*
*Sanguinis nunc ſæva notis lacrymabile ſidus*
*Bella docet miſeros, ut ſtrage ignobilis unâ*
*Millia multa virûm Mars auferat; Amnis ut olim*
*Saxa rotat nivibus deſcendens monte ſolutis.*
*At gravis infeſti major ruit aeris æſtus*
*Exſtirpatque ignara mali, modo corpora ſanis*
*Vſa notis vitæ; medio quod flore juventas*
*Pras ingrata tenet, contra ſua vota relinquens.*
*Sæpè patrum è gremio & ſpecubus florentib. atrox*
*Peſtiferæ cladis furor immortale minantem*
*Ingenio exſtinxit, meſſemque reliquit in herbâ*
*Purpurei pueri: jam non lacrymabilis ex ſe*
*In tumulum nati quæſtus movet orba ſenectus.*
*Nec ſexum viridis nec ſuſpirantia longum*
*Vota manet juvenis toto quin turbida peſtis*
*Aere bacchetur ſtridens: Audire ſonantem*
*Viſus ab occulto lethale habet impete telum*
*Pectoris in medio, rupit vitalia vulnus*
*Dum timet, & fixus ſtetit in penetralibus orci*
*Lethifer immani pandens tria guttura ritu*
*Ianitor, & victo jam ſpirat funera ſenſu.*
*Ipſe metus dat tela malo. ſceleratus inaneis*
*Sanguinis in venas mortem rapit horror, & intus*
*Peſtiferis præſtat vacuos afflatibus artus.*
*Omnia quæ humano librans ſapientia cenſu*
*Excludit factorem opere, & ſine numine caſum*
*Sideraque & terras incerto volvere paſſu,*
*Retur & æternis fixum ſine legibus in ſe*
*Vertere cum ſuperis humana volumine cœlum*

*Censet eôdem uno. Cum stirps altißima nostris*
*Hæreat in gestis; quibus in peccata retrorsum*
*Immani contra sua vota furentibus æstu*
*Præfixit pater omnipotens, ne tempora lethi*
*Norimus: hinc longis mala tot stridorib. omni*
*Intentant aciem momento, & secula raptant*
*Humanorum operum, ne quid constantia servet.*
*Error habet mortale genus. Quia maximus auctor*
*Prospicit & rebus sua momina digerit alto*
*Mira movens secreta polo. Ne regula quicquam*
*Firma notet, credatque suis se viribus impos*
*Mentis homo. At cœci ne sint quæ numina casus*
*Legibus in sanctis, unum nos tendere finem*
*Imperat, & dubiis cum sint gravia omnia curis*
*Vt celerem transire equitem jubet impia rerum*
*Tempora, necquicquam læto titubantia passu,*
*Adspirare Diis & nil sperare caducum.*
*Certa suæ dans signa manus. Quæ circite magno*
*Immensumque orbem cœli, terrasque jacentem*
*AEquoreosque situs & tartara versat Averno,*
*Argumenta docens, miranda potentia quorum*
*Clarescat numeris, dum singula fata virorum*
*Diversis domat imperiis. Sic sidere longum*
*It stabileis sine labe vias Sol aureus almo.*
*It vaga Luna suas, nec quoquam peccat abusu,*
*In stata tam varium defigens tempora cornu,*
*At mortale genus, licet igniniicantibus astris*
*Appictas videat caussas, legesque dierum,*
*It tamen in latus, & solo rectoris ab ore*
*Pendet. Vbi scripti certus stant legibus intra*
*Sideris imperium mores, tamen extimus auctor*
*Sidera sub fixo jubet ordine pergere cursum,*

*At vitam humanam precibus culpâve subactus*
*Ipse suis torquet manibus, ductamque reducit*
*Proritatque premitque & temperat aspera lætis.*
*At quia necquicquam votis ardentibus olim*
*Sæpe malum cupimus, & quæ nocitura vovemus,*
*Aversamur item quæ sunt bona: Maximus auctor*
*Cælestis Sophiæ, non raro in vota repugnat,*
*Quæque videt prodesse, animo largitur amico*
*Quæ nocitura premit. Celsâ cum caussa latebra*
*Hæreat & nostris non sit capienda voventum*
*Sensibus. Occulto tamen in pia pectora jussu*
*Immergit pietatem instandi pluribus ultrà*
*Omnipotens precibus. Sæpè implacabilis iræ*
*Fronte fovet flammam, cum pectora amore liquescant,*
*Augeat ut saltim meritum fiducia longis*
*Hærens elecebris: durataque floreat inter*
*Spem virtus adversa legens, patientia firmet*
*Mente fidem, curamque Dei persuadeat intus.*
*Passibus his gradiens per turbida tempora vecors*
*Incertæ rationis homo, sine luce fatiscat*
*In nebulis; nisi cælipotens sapientia libris*
*Enarrasset opus sanctis, sacrumque dicasset*
*Cultibus æternis, non thure, vaporibus, aut vi*
*Immensa pecudum taboque fluentibus aris*
*Sed purgato animo terræ de fæce rebellis,*
*Quæ rapit in facinus cælestis semina flammæ,*
*Scripsit in his miranda sui compendia nutus*
*Omnipotens, & adorandis docet omnia dictis.*
*Vt licet adversis refluant mortalia ventis*
*Consilium contrà, non trux fortuna putetur*
*Instabiles mutare rotas, nec prodiga mentis*
*Ex atomis ratio rerum deducat habenas.*

*Est Deus, hinc mirâ versat mortalia lance,*
*Quæ nescit persæpe gravi considere fato*
*In parileis æqui necquicquam ponderis auctus,*
*Sed vagus in vitâ nunc elevat improba turbo*
*Nunc premit opposito pia pectora fortior astu.*
*Vt si nulla super florerent lumina cœlo*
*Virginis, in numeros quæ prospicientia gestit.*
*Sed modo pro vitijs, nunc pro virtute malignos*
*Exercet stimulos, ut nescia pectora fati,*
*Voluat, & à propriâ deturbet opinio librâ.*
*Cujus in extrema cum nulla sit undique meta*
*Nec statim ratio fixo queat ulla tumultu;*
*Mens tandem mortale luti premat alite corpus*
*Remigio alarum & domito succedat Olympo*
*Humanæ Sophiæ, captivaque sensa necesse*
*Vincere, & ingenti constringere fracta cathena,*
*Sola fides, ut sit ratio; prudensque IEHOVAE*
*Spiritus à nutu terrestria negligat arma.*
*Vnde adeò paullatim inopes solata tumores*
*Vanaque pendentis hinc, atque hinc momina fortis*
*Fortunæ, (cujus sub nomine turbidus anguis*
*Permissu domini curas exercet amaras,*
*Inceditque animos flammis terrestribus hærens*
*Carceris in lenti stabulis) Fiducia solo*
*Omnia concedat domini moderantis amori:*
*Vatibus arcanis, per quos oracula cœlo*
*Scripta dedit libris pater, & data misit in orbem*
*Venturo generi fidei retinacula certa,*
*Omnia concredens æternæ fata Salutis.*
*Vt pater omnipotens antè alti mœnia mundi*
*Florenteisque astrorum igneis & tartara cæcam*
*Subter humum immanem pœnis servantia noctem.*

Condi-

*Condiderit numerum Sanctorum, & nomina libro*
*Scripserit æterno; quæ nullo turbidus ausu*
*Excutiat serpens, stimulisve evertat amaris.*
*Quin tandem extrema retinentes morte sequatur*
*Mente fidem firma & plena spe corpora sessis*
*Deponant tumulis, ut cum tuba carmine claro*
*Vivificum dederit sonitum, renovata resurgant.*
*Vt teres in sulco granum quod rustica jussit*
*Tabe manus fluere, & species putrere soluta,*
*Surgit in excelsam felici germine aristam*
*Seminaque arcano sibi subjicit altera fato*
*Morte sua reparans resolutæ fragmina formæ.*
*Hanc pater ore fidem proprio quia jussit, & ingens*
*Ius dedit in cumulum jurandi & fœdera sanxit.*
*Sola fides didicisse potest: nec stridula vanis*
*Argumenta ciens numeris, humana rebelleis*
*Exigat incassum ratio variabilis æstus.*
*Quo pacto, quo quæque queant confecta labore*
*Confieri, & fixis succedere fundamentis.*
*Sola fides ratio est, hæc singula dicta sequendo*
*Virginis egregia speciem miratur in astris*
*Invitare sinu mentem & dare vota saluti.*
*Iamque adeo infelix nullo fortuna tumultu*
*Concidit, & lato Phebus dedit ore fenestram*
*Sidereis, oculosque animi furata deorsum*
*Necquicquam nuper vera temnenda figura*
*Apparet coram & sua se induit, effera, in arma.*
*Accendens domitis lumen furialibus iris*
*Persephones Stygiæ, lento quæ subdita viru*
*Desperantem animum vexat livente veneno.*
*Ergo impacatis turbans latratibus almæ*
*Virtutis Genium, sata vota perennibus armis*

 Cœlestis

*Cœlestis Sophiæ deformi nectere curæ*
*Ausa, procul Ratio sua se in loca contrahat, atque*
*Det Spebus Fideique locum: Vox sancta Tonantis*
*Nullius exclusum vult desperare laborem,*
*Omnibus ille idem Pater est: nec sanguinis almi*
*Vile brevi precium numero meritum extrahat orbi.*
*Sanguinis eroseì quem turpi in stipite pendens*
*Pro nobis dedit in Pœnam sanctissimus Heros.*
*Ille gravi è ligno fraterna in brachia clamans*
*Invitat mortale genus, Mundumque per omnem*
*Præconeis sacræ jussit procurrere sectæ,*
*Salvificisque undis & puro dogmate fotos*
*Imbuere in vitam: Non illinc regula quemquam*
*Circumscripta fugat: Quicunque à fonte Salutis*
*Ceperit egregium pignus, fideique favorem*
*Senserit in semet Christumque receperit intra*
*Spem patriæ æternæ, sine lege aut nomine planè*
*Sanguine purpureo Domini purgatus, Olympo*
*Sacrabit vitam, & post fata Salute fruetur,*
*Quam procul amissam mitissimus agnus amicis*
*Restituit, meritasque hominum generi ipse luelas*
*Sustinuit, mortem exstinxit moriendo, reduxque*
*E specubus lethi duxit super astra triumphum.*
*Hic fons perpetuæ manans sine labe quietis*
*Advocat omne genus: capite hinc, ait, ubere ductu*
*Immortalem animæ vitam, cum corpore tandem*
*Visuri mecum Patris mea regna renato.*
*Hinc se nulla potis secludere jure cupido*
*Singula librantis, Rationis, ad omnia cæca*
*Ni se in perniciem volet ipsa videntibus ultrò*
*Præcipitare oculis, & spem præcidere Vitæ.*
*Pauca quidem electi servant mysteria cœtus*

*Millia,*

*Millia, pars longè major mortalibus amens*
*Exsulat in curis, & victûs capta caduci*
*Exanimi studio cœlestia temnit; at illa*
*Culpa cuique sua est proprio fabricata furore.*
*Semina cum lato mandat sator inclutus agro,*
*Nulli sacra loco decora invidet: omnibus unâ*
*Spargit grana manu. Malus at vix sparsa retundit*
*Nec sinit ad frugem furor altam exscendere culmo.*
*Partem improviso rapuit ferus anguis hiatu.*
*Dum ritu humano cœlo data jura sequuntur*
*Mancipia invisæ noctis, quod mente profana*
*Ad lucrum volvunt divini dogmata sensus.*
*Pars alia incerto cernens sua vota recursu*
*Fallere consilium atque alio succedere fine,*
*Abjicit extemplò studium pietatis, & intra*
*Dedecoris proprij stimulos perit, ordine fracto.*
*Multum alij invigilant libris: Sed querquera raptat*
*Ambitio in latus, & doctrina tenacibus hærens*
*Compedibus numerorum argumentisque malignis*
*Evertit summam fidei: sæpe impius intus*
*Scit se errare furor, sed ne cogatur amico*
*Cedere, vel monitus sectatum vana fateri*
*Perstat, & immani culpam ferus auget ab œstro.*
*Hinc vesana manus populos divina docentum*
*Prava dat in mores exempla, & præpete curâ*
*Certandi scriptis, pro religione tuenda*
*Surgit in infelix studium, convicia contra*
*Ponendi verum & jugulandi carmina factis.*
*Hinc adeo infelix in tot discrimina fervor*
*Abripuit mortale genus. Scintilla monentis*
*De lapsu socij, tam magnum insurgit in ignem*
*Dispergitque æstum latè, & fera fulmina mittit.*

 Ec scis-

*Vt ſciſſum in vulgus manent exempla docentum.*
*Inſurgantque alios alij patientia longè*
*Et pietas propulſa dolet; Conſtantia clarè*
*Plangit; at inſano laſcivit pallida motu*
*Tiſiphone & facibus jactis incendia nutrit.*
*Donec verſa malo lapſuram Eccleſia monſtrans*
*Inclamat Dominum. Dominus tum milite miſſo*
*Certantum ſine cauſſâ aciem rapit ultor utramque*
*Iudicio, ſpretiſque atros ab ovilibus hircos*
*Ejicit, & fidis ſua dat paſtoribus arma.*
*Interea pereunt agni; ſed ſanguinis horum*
*Egregius vindex pœnam à paſtoribus auctor*
*Incipiet vitæ, ſi quis modo pectore vitam*
*Purifico & velit ore ſequi. Procul omnis abeſto*
*Rixa, viri, date pura Dei myſteria plebi*
*Et fidei exemplum à veſtra inſtaurate quiete.*
*Fraternis animis inter vos mutua junctis*
*Otia ducatis virtutibus. Hujus in illum*
*Concedat pietas, conſtantia fortis in iſto*
*Alterius labem fraterno tegmine velet.*
*Vt lupus infelix circum ſtabula alta vagando*
*Retrò iter aſlectat fugiens, veſtigia fraudum*
*Nulla videns, feſto florentia cuncta nitore.*
*Illum turba procul miſerarum cedere cernens*
*Sponte ovium Domini laudet cuſtodis amorem,*
*Et ſtudium felix paſtorum; ut judicis olim*
*Ad ſedem auguſtam & ſplendentem in nubibus arcum*
*Siſtere quiſque ſuæ data promptus ovilia curæ*
*Participet, doctam, per tot præconia, vitam,*
*Et reliquos inter præſigni comtus honore*
*Floreat; ut varijs Elucet candida phœbe*
*Sideribus, quam turba micans hinc inde vagantum*

*Agno-*

*Agnoſcit matrem ſtellarum, atque auget honorans.*
*Talis erit vultus præconum, hoc ore nitebunt*
*Ambitione procul qui vero tramite veram*
*Ingreßi duxêre viam, quos cura IEHOVAE*
*Mandavit patribus ſancta virtute tuendas.*
*Ne ſtygius prædo rictu fera bella triſauci*
*Infernis ululans umbris, modo dißipet horrens*
*Palanteisve agnos, ipſumve è ſede magiſtrum*
*Vi violet turbans, ſtabulisque infeſtus apertis*
*Perniciem ferat incumbens; procul effera raptet*
*Corda pavor, fugiantque amiſſo ante ora querentum*
*Opilione greges; ſtragem teterrimus auctor*
*Diſpergat campis, lacerataque caſtra relinquat.*
*Ille dieis nocteisque atrox furialibus iris*
*Circumagit ſtabulis rabidam famem, & aſpera diris*
*Bella movet ſtridens vlulatibus; attoniti hoſtem*
*Sub tectis ſensêre agni, gemitumque dedêre.*
*Averſati infeſtum animum prædonis avari,*
*Ignea qui vibrans ſub opacâ lumina fronte*
*Imminet omni aditu, & caulas ſtatione coronat*
*Militiæ de peſte ſuæ; niſi voca precantum*
*Suſtineant rabiem, & depulſam in tartara vertant.*
*Eruat ille omneis ipſo cum limine poſteis*
*Et vigilem ingratum mediâ necet impius aulâ.*
*Tanta malo virtus, & tanta potentia monſtro eſt.*
*Quod ſi aditum fecêre ſemel fraudeisve dolive*
*Eluſusve vigil, vel vis permiſſa latroni*
*A Domino: primâ cum trux ſtetit hoſtis in æde,*
*Fundamenta quatit, crateisque evertere fixas*
*Vive dolore parat. Vix ſupplice tota precatu*
*Fuſa cohors ſævum potuit pepuliſſe tyrannum.*
*Si qua ſata jubent captis excedere tectis*

*Longum respectans lento vestigia passu.*
*Cœca movet, vix paullum adea pia cura remissa est,*
*Ecce tibi mediâ stetit improvisus in aulâ*
*Hostis, & incautos tremefecit murmure reges:*
*At queis non stolidi plenâ in regione magistri*
*Erravere modis; dum dia inscendere certant*
*Qua vetitum, rationis opus. Et dicta sequendo*
*Rimari cœcos aditus caussasque latentes;*
*Inter ibi effosso trux pariete prædo cruentas*
*Imminet in strages, turbataque ovilia raptat,*
*Dum vigiles primâ pugnant de sede docendi*
*Ingeniique apice, & tortoris acumine sensus.*
*Quem pater omnipotens certâ ditione revinctum*
*Jussit in arcanis fidei se credere dictis.*
*Sic intentatum nihil hic liquêre, supinis*
*Dum contrà studiis sua vota ferociter errant.*
*Pars adeò inquirit; per fasque nefasque redire*
*Contemerare manu sacra atque profana, nihilque*
*Non audere mali, bona cuncta repellere longum,*
*An cogatur homo: mersusne in crimina fato*
*Exeat? an possit proprio se perdere nisu.*
*Pars ideo quodcunque geras, Electio finem*
*Præstat, ait, sanum: nihil ante patrata nocebunt*
*Quod nisi te fixo præcesserit ordine fati*
*Nascentem series, firmetque electio robur*
*Virtutis, non sponte licet, tamen impius inter*
*Spemque fidemque cades, quia non est vivere rectè*
*Propterea, quod vota tua in te fata refutent.*
*Hinc secura sui distortâ mente per orbem*
*Impietas sceleri subicit facem, & improba raptat*
*Perniciem in cœcam non sano corda tumultu.*
*At Dominum procul expansis sua regna vocantem*

*Prætereunt manibus; medio qui stipite fixus*
*Proclamat, nulli caussam se tradere lethi,*
*Velle, sed à cæco miseros errore redire*
*Et rectum in callem varo decedere passu:*
*Sancta ciens juranda sui quoque jura parentis,*
*Seque locans pignus fidei; qui sanguine cœlum*
*Occlusum referet, non hæc tibi vana, vel alte*
*Obscuras inter latebras abscondita dictat.*
*Sed dilectum adeò totum sibi carmine mundum*
*Enarrat claro, gremio ut descenderit almi*
*Patris, & in terras se miserit unica proles*
*Aeterno similis genitori, ante omnia cœcis.*
*Vt genus humanum e tenebris pallentis Averni*
*Erueret, secumque alto repararet Olympo.*
*Vt superans hostem, atque evictum in tartara mergens.*
*Atque ideo in toto sonuit tuba Martia mundo*
*Præconum, qui sancta ducis exempla secuti*
*Sanguine doctrinam confirmavêre profuso.*
*Vitam inter mortisque aditum sua dicta parati*
*Exitio stabilire gravi. Nec defuit hostis.*
*Pœnam immanem ultro furiis concisus acerbans*
*Quod si illi, morem sancti ducis usque secuti*
*Fine Deum sensêre suo; cunctisque dedêre*
*Amplectendam acri pietatem ardore per orbem.*
*Et scriptis fixêre sacris, ne regula porro*
*Post genitum erroreis studio torqueret eodem,*
*Discipulorum olim; nec jam præconia cessent*
*Dia sacra de plebe virum unumquemque vocare,*
*Et reserare adyta, & sanctis ita sedibus omneis*
*Excipere, ut sentire queant, fideique tenaci*
*Credere ritè animo, Dominum se velle saluti*
*Asserere, & noxas ultrò expurgare prementeis*

Sanguine

*Sanguine puniceo, patriæ immaculabilis agnus*
*Iustitiæ meritum cujus propinat, & ingens*
*Absolvit pietatis opus. Quo legis ad unguem*
*Completur rigor, & mitem bona gratia vitam*
*Salvificis donat plenâ spe, credita quondam,*
*Muneribus, coram nunc visa, & tradita castis.*
*Quid superest, quam se pro se precibusque fideque*
*Commendare patri quemvis, atque Abba sacrare*
*Egregium, quo torva omnis se turba malorum*
*Spirituum amoveat procul, & rata vota petito*
*Fine viam insistant sanctæ decurrere vitæ.*
*Donec ad extremam veniant per tristia metam*
*Nullus ubi dolor aut rabiosa pericula sanctis*
*Moribus obstabunt; procul invidia omnis & exlex*
*Ambitio, crudele fremens sitis atra cruenti*
*Sanguinis, & lethi præludia mille jacebunt*
*Auctoris sub nocte sui, qui gurgite mersus*
*Sulphureo, æternas pœnas patietur, & antro*
*Carceris horrendi turbæ exercebit iniquæ.*
*Florida, sed Christi meritis confisa coronam*
*Induet æternæ turma intemerata salutis.*
*Exsultans pietate merâ; fontemque benignum*
*Coram amplexa boni, magno se proluet haustu*
*Auctoremque unô laudabit in omnia cantu*
*Secula; perpetuis unde aucta decoribus omnem*
*Speque fideque Deum qualem modò credit, habebit.*
*Tota serenatis ridebit machina signis,*
*Gaudia concipiens Domini præsentis ubique.*
*Hæc, pater omnipotens, ut certo cuique paterent*
*Sacramenta dedit figens, verbisque fideli*
*Firmavit monitu; quibus usa à crimine nosset*
*Se purgari omni constans Ecclesia ritu.*

Hæc

*Hac cui dantur, habet vitæ signacula certæ*
*Credere si saltim & sese emendari fideli*
*Advenatque animo & dapibus pro pignore firmet*
*Afflictam sacris virtutem. Vt turbida multæ*
*Conditio mortalis humo fuscare supernæ*
*Particulam flammæ cognatâ labe coacta est.*
*Quottidie cujus cum sit doluisse necesse*
*Perfidiam, sceleri pronam, facilemque, sed altis*
*Difficilem monitis; hæc in mysteria fixit*
*Omnipotens certum promissi pignus amoris.*
*Quorum prima jubet mox nati invergere prole,*
*Atque fidem dare mansuri sua fœdera coram*
*Spectatos virtute viros infantis ut olim*
*Excedens animis præscriptæ momina metæ*
*Compescat secum, recolens, quoi colla patrono*
*Subdiderit, dominoque cui se addixerit, hæres*
*Aethereæ vitæ, cum qua componere præsens*
*Tempus, & altrorsum infido secedere passu,*
*Pernicies sit certa animæ, quæ perpetis ævi*
*Non poterit pœnis defungi jure caducis.*
*Sed servare atrocem æterna in secla luelam.*
*Altera divinæ præbent mysteria legis*
*Salvificas epulas, purâ quæ mente potitæ*
*Christum homini sociant, & non temerabile jungunt*
*Et fidei fœdus. Puro dum pectore sanctæ*
*Constabit virtutis opus, nil turbidus orci*
*Auctor aget, ludetque in se sua crimina vertens.*
*Hoc verum est sacræ pignus durabile vitæ,*
*Sanguine nos Christi, Christi nos corpore pasci.*
*Divinisque cibis animæ, firmare salutem.*
*Non petit os panem, fruitur sanctissima Christo*
*Mente fides, seseque suo conjungit IESV.*

*Hic*

*Hic est ille cibus qui celso ex æthere terram*
*Descendit, veteris ut fœda piacula culpæ*
*Horrentemque famem sceleris compesceret atri,*
*Quam generi in cladem morsus patris extudit Adam.*
*Hæc nisi ficta Deo consideret, omnis maneis*
*Exeat in ventos labor; immortalia longè*
*Gaudia suffugerent; nihil illa tristie repulsa est*
*Spontè patent amissa olim penetralibus arceis*
*Sidereis: ubi quondam atrox merita ardua contrà*
*Iusticia exsereret pugnans, pœnásque bilanci*
*Aequaret factis libra, ferrumque moveret*
*Sanguineá fervens ira, clademque merentum*
*In genus humanum plueret torrentibus alto*
*Assimilis formam nimbus, qui fulgure nubes*
*Dilacerent diro, atque exosa incendia portant*
*Inter aquas; cum nulla rati spes luceat inter*
*Armatas hyemes deprensæ in gurgite cœco.*
*Hic modo devictô pollens bona gratia sæva*
*Fulmine justitiæ, læto ridère sereno*
*Orsa, diem amissum reddit mortalibus ægris.*
*Nulli caussa oculis desperabunda malignis*
*Volvere dicta animo, aut generi se excludere toto.*
*Omnibus hæc via clara pater. Qui pectore puro*
*Amplexi duo salvifici mysteria verbi*
*Sub fidei scutum deponere vota laborant*
*In vitam spes rite suas sine labe sequentur,*
*Pallidus exsertis quamvis stridoribus anguis*
*Obsideatque viam & non pauca obstacula jactet,*
*Nunc desiderio rerum succincta caduco*
*Arma movens contra, nunc sparsis viribus audax*
*In latus assiliens omne, & vafer, undique pugnans.*
*Non poterit tamen è Domini custode piorum*

Eripere

Eripere ... aciem dextra. Stat flammeus armis
Vimque dolumque premens Michaël: tutelaque Christus
Ipse sua æternis mactabit ovilia pastor
Dotibus; & fœdi impositis dabit ora Draconis
In mortem pedibus calcare, & lumina diro
Plena lupi livore sacros elidere flictus
Illa quidem parvo quamvis collecta maniplo
Militet in terris Ecclesia, dum sua longè
Vota videt, fideique acie flagrantis adorat,
Spe tamen à certa nihil alta silentia demunt
Temporis incepti; quin cum malè fluctuet inter
Ventorum furias; cœlique & marmoris ingens
Bellum adeo, ut longè vix sevia pandet Olympo.
Non tamen obruitur Vesano tota tumultu.
...eret in exemplo Domini, tristesque tenebras
...ndasque trucibusque inimicas flatibus auras,
...lmineosque imbres & tota Elementa duello
...ovocat; ut scopulis altè Acroceraunia fixis
...m pelagi ventosque & fulgura temnit & igneis.
...uippe cui consponsa suæ genialia tedæ
...ra domi servat; super astra potentibus alis
...a movet rerum, lubituque ea flectit & uno
...ellit quæ fert nulli discenda voluntas.
...suam excipiet gremio, speratque nectet
...chia, præteritæque abolebit tristia vitæ.
...rgens oculis lachrymas. Solabitur ægram
... malis, tunc purpurea cingente corona
...giam fati sponsam, quæ corde renato
...m adeò sitiat sponsi felicis amorem
...enus absolvat in eo secum omne salutis.
...spes completæ, tum vota audita canentur,
...sine fine choris superesse sonantibus almi

Virtutes

*Virtutes Domini dabitur, tum flebile tempus*
*Calcabunt pedibus, tum bella injuria rerum:*
*Tum lætam ex latâ decerpent undique sancti*
*Læticiam; æterno non interrupta tenore*
*Gaudia laxabunt numeris. Non mobilis annus*
*Volvet in exscripto signatum tramite solem.*
*Non rota se phœbes consumet adultera flamma*
*Sufficietque sibi, non astra micantia cœlo*
*Pristina deflêtæ mutabunt tempora vitæ.*
*Omnia ridebunt Domini florentis honore.*
*Omnia Christus erit, Deus omnibus omnia Christus*
*Qui breve se in spacium malè lamentabilis ævi*
*Eruerunt censu & per tristia læta secuti*
*Fixerunt cœlo fidei intemerabile signum.*
*Omnia de tumulis surgent Elementa caducis*
*Expurgata situ, quem machina contrahit omnis*
*Dum videt humanæ vitia invitissima secta.*
*Sol novus exoriens milleno fulgure major*
*Admittet spectantum oculos, faciemque nefandis*
*Spurcatam maculis nunc aversatus, adibit*
*Ipse aciem totumque exsolvet lumine corpus.*
*Ut radians animæ lux, ceu modo nata per ignem,*
*Ipsum acie Dominum coram pote cernere rectâ,*
*Cujus in adspectu mors est mortalibus ægris.*
*Ipse throno pater omnipotens sublimis in alto*
*Omnia complectens quæcunque habet extimus orbis*
*Ridebit placidum sanctis, curasque prioris*
*Oblitis vitæ, largo dabit auctor amore*
*Inspicere æterni miranda palatia cœli*
*Consiliique arcana sui, quò jusserit olim*
*Adfligi miseros, sua queis sint fœdera curæ,*
*At contra floreis malos, & carpere fructus*

Desidis

*Desidis in mortem vitæ, tum fata videbunt*
*Omnia, tum sacris hinc atque hinc undique cuncti*
*Spiritibus, claro quos æquant corpore pridem,*
*Insilient choreis, atque ignicoloribus altè*
*Sublati pennis ( pinnas dabit ipsa voluntas )*
*Trans spacia atque loca, & quicquid pote didere lingua*
*Carmina cantantes æqualia rite volabunt.*
*Hæc meritis Domini spes parta potentibus omneis*
*Exsuit ingenio curas rerumque virûmque*
*Queis malus in sese pugnat surgentibus Orbis.*
*Atque animo affixo superis, mortalia prorsus*
*Omnia proculcat melioris conscia fati.*
*Me quoque cum nondum volitantis mœnia cœli*
*Cum nondum maria & terram, cum sidera nondum*
*Nondum hominem fecisset Herus, sibi sanxit ab altis*
*Evulsum tenebris fato, ne perdere posset*
*Fæda ruina ævi aut labes ingrata trahendo.*
*Hoc mihi per sua sacra ultro pater ipse videndum*
*Exhibet, hæc spebus præponit gaudia nostris,*
*Ille ego qui fæda modo carne atque ossibus ægris*
*Sto compactus homo, & vix eminus astra saluto,*
*Illic me patriam, atque illic servare perennis*
*Certam adeò vitæ novi caussamque fidemque,*
*Vt minimè negem in hoc fidei huic concedere morte*
*Momine, & complecti coram procul apta videndo.*
*Me Domini sanguis, Domini me gratia Christi*
*Sanguine quæ sparso quoque me contingere guttâ*
*De meritis dignata suis, vitæ asserit, orco*
*Eripit, inducit cœlo, mactatque salute*
*Perpetuâ, quam nulla fidem mihi tempora solvent;*
*Nullius contra furor expugnare valebit*
*Non si laxatis præceps impingat habenis*

*Funereos equites cælo Stygis incola diræ.*
*E Domini dextra poterit me evellere, tamdem*
*Quum potiar portu & fixam liget anchora proram*
*Intereunt ipſe, & quicquid tegit arcus Olympi*
*Convexo incumbens magno procul; æquora flammis*
*Conſident exhauſta; aer tenuabitur ex ſe*
*Terraque concedet cineri; inſuperabilis ignis*
*Cunctarum domitor rerum morietur, & in ſe*
*Perniciem vertet cum copia deſeret eſcæ.*
*At Domini e verbis, ſacra quæ mihi pagina monſtrat,*
*Nullus apex unquam; nullis ſtant carmina metis*
*Extra ævum ſpaciumque, locumque, & gaudia, & iras,*
*Quæ pater omnipotens ſanxit mortalibus ægris*
*Firmamenta locans fidei, quæ nacta parentem*
*Intemerabilibus floret ſuper omnia regnis.*
*Tu, dilecte parens, parvo quam fomite ſentis*
*Scintillare fidem, flammis florentibus auge.*
*Nec fumum tenui jam vix manare videndum*
*Torre premas; ſed ſalvificis afflatibus urge*
*Quæ ſine te nulla eſt virtutem, & ſuffice vires*
*Corporis ab miſeri texto, ut ſpirabilis ignem*
*Sponte ſecutum animæ nil jam mortale laboret,*
*Aut cupiat, ſed mente ſimul ſocia exeat ægras*
*Mortalis curas Sophiæ: te lumine fixo*
*Te videat ſolum & viſo immoriatur, ut olim*
*(Ceu vetus, in terra quod putruit ante, reſurgit*
*Fruge nova granum, & ſegetem gravis auget ariſta.)*
*Exſcendat tumuli, fruſtrà mortalis, ab antro,*
*Et novam, homo novus, inveniat te principe vitam.*
*Da pater amplecti fratrem: caput æthere regnans*
*Speque fideque ſequi Chriſtum, & dare membra ſaluti,*
*Gratia quæ ſanxit cum Chriſto à morte reſurgens.*

*Et licet infestis malus hactenus undique turmis*
*Egerit in vitium peccantem sponte, parentum*
*Primorum scelera, id quod ego auxi, & pectora junxi,*
*Non tamen à vera penitus devertere meta,*
*Me valeat serpens: quia ego quoque, pars quota eorum*
*Sum, quibus expansis venia est data nobilis ulmis*
*Stipite de sacro* CHRISTI *: cui vulnera quinque*
*Conspiciens pro me furiis inflicta Draconis,*
*Irrepo lateri Domini, & mea pectora necto*
*Salvificis membris; victa ut de morte resurgens*
*Me rapiat secum, qui pro me mortuus, auctor.*
*Præterea insida quæ sunt super, & modo si sunt*
*Tempora, me vitæ sancto, pater optime, voto*
*Instaurare jube; quod jussisti ante, superno*
*Confirma auxilio, & tibi me, tibi me assere totum.*
*Quem tædet peccasse, piget peccare, pudetque*
*Peccaturum exin; exosæ ut tempora vitæ*
*Sponte precer, pater, incidas; me è carcere fœdo*
*In libertatem, de nocte in lumina, ducas.*
*Quis me adeò miserum, quis me hoc exsolvet ab antro,*
*Quod nolensque volensque per atra & candida mecum*
*Gesto, meæ opprobrium vitæ? Cupio improba dudum*
*Terrigenæ dare membra luto, dare corpora busto,*
*Maternamque in humum descendere, sum unde oriundus,*
*Ut Domino jungar Christo; Da vincula fœdi*
*Non diuturna colam, pater ô sanctissime, secli;*
*Omnia qui temno, potiar te ut denique solo.*

FINIS VIRGINIS.

## C. BARTHI

# ZODIACI VITÆ CHRISTIANÆ.

## LIBER VII.

## QVI ET LIBRA.

*Altera, quæ functos vitâ captura caducâ,*
*Suſtinet incertam mortali in corpore filum,*
*Præcipitis longo necquicquam tempore, Parcæ,*
*Prima Salus, quærenda viris, ne deſide corpus*
*Luxuria aut ſtudiis animos oblimet habendi,*
*In diverſa trahens. Puri mens conſcia cæli*
*Suſpiret meliorem auram, ne ſqualida cæni*
*Regna premat, ſacraque exſul ſe turbet ab arce,*
*Conſcia peccati, quoties Iuvenilibus auſis*
*In Latus abripuit, viſcoſa peſte, Voluptas.*
*Teſtis ut ipſa ſibi retro decedere diſcit*
*Si quando internus procul excita vermibus in ſe*
*Stringet atrox flagrum atque immania verbera ducet*
*Tiſiphone, horrendis crineis incincta ceraſtis.*
*Scilicet hoc opus eſt neglectis rebus & omni*
*Turbine ſepoſito vitæ mortalis in unam*
*Spe ſuperûm penetrare arcem; quæ nobile monſtrat*
*Sertum ideo ex aſtris, vitæ inviolabilis obſes.*
*Attamen ut hominem tamen eſt fas vivere; ſi non*
*Mortaleis propter curas, ſanctosque labores,*
*Non tamen hos præter: ne laſſum ante ordia vincat*
*Sudoris mala deſidies, neu turpis Egeſtas*

*Hærentem stimulis vertat mordacibus extra*
*Spem monstratam alto: dum corporis impos alendi*
*Obfuscat sata Sole animi studia, actus in arcta*
*Paupertatis onus; quæ dum nimis improba pressat*
*Scintillam elidit, sacro quæ semine ducta [illegible]*
*Dumque nimis luxu parcit devicta [illegible]*
*Evomit in furias Stygiaque exanima pectus.*
*Ergo etiam quandoque labori haud parcere verum est;*
*Quem Pater omnipotens primis genitoribus, ex quo*
*Dejeruêre viam, & lævo se calle dedêre*
*In præceps, unaque omnem spem gentis acerbæ,*
*Custodem assiduum, monitoremque addidit, ingens*
*Subnectens collo vinclum, ne deside contra*
*Copia marcentes fœdaret flumine sacræ*
*Virtutis stimulos, corrupto sanguine, neu se*
*Desperaret homo cernens nihil omnibus ausis*
*Proficere, & vanos frustra exercêre lacertos.*
*Sic jussi vertêre solum, dum vomere tellus*
*Victa superne gravi est, imis radicibus in se*
*Descendens evolvit opes; Labor improbus illam*
*Non poterat penetrare viam: benedixit ab alto*
*Auctor opus, mox prægravidis plena horrea culmis*
*Stipat ovans cultor, cui centum tenuis aristas*
*Seminis exspersi cumulus cum fœnore reddit*
*Mirifico; stat pone Labor ferrata ministrans*
*Instrumenta viro: messem bona Gratia cœlo*
*Subjicit, & tacitis jam credita semina sulcis*
*Pinguibus irrorat super imbribus: illicet imo*
*Terra sinu sata vivificat, sanctum [illegible]*
*Copia suppeditat cornu: [illegible] maximus auctor*
*Ipse dat egregium fœcundi numinis augmen.*
*Nil Labor [illegible] facit, & tamen [illegible] jussu*

*Efficit æthereo, quia vis occulta potentis*
*Jussoris subit & spem fœnore mactat amico.*
*Hunc contra duplici furit ærumnabilis œstro*
*Cura hominum, pars indocilis defendere duro*
*Horrentem sudore famem, male prodiga vivit*
*Nil ubi habet, vitamque trahit mendica fugando.*
*Pars alia in studium cæco fervore tenendi,*
*Et satiem [illegible] experta cupidinis umquam,*
*In se dira furit, [illegible] felicior omni*
*Speque sua Invidiaque hominum, si corpus onustum*
*Antidota insanis vitiis, & sorte maligna*
*Vltro adjuvat scelus in majus, pia fata cruentans.*
*Nil satis huic, nil usus habet: seponere parta*
*Divitias putat & fruitur tot lustra dolore*
*Pauperiei. Quod blanda aliis vita ingerit alto*
*Concessum jussu Domini, pietate paternâ,*
*Hic necat incumbens, & dum bene vivere differt*
*Vitam adigit letho miseram; se prodigus effert*
*Parcendo, dum plura cupit, nihil audet habere,*
*Inque futurorum votis præsentia perdit.*
*Nil sanctum castumve viro, quem sensibus ardor*
*Præcipitat rerum, sine fine modoque parandi.*
*Raptat opes, raptasque amittit inanis habendo.*
*Dum metuit sibi, dum sperat servare, profundit.*
*Metitur cumulo vitam; sine corde recedens*
*Ambulat, & structis opibus mens incubat amens.*
*Hanc Pater Omnipotens latere ex utroque cavendam*
*Proposuit labem miseris; dextra aspera visu*
*In sublime volat: læva in loca lurida subter*
*Deprimitur; medio via se latissima campo*
*Per declive modo & modo per loca plana ministrat.*
*Cujus in extrema limes certissimus arce*

Conven[illegible],

Convenit. & paribus ſpatia in ſua cedit habenis
Non ſecus ac cælo ſpecies formoſa ſereno
Ponderibus juſtæ lancem moderatur utrinque;
Hæc modo ſublatis properantior ire patellis
Viſa, modo imparibus ceſſim ſubſidere filis.
Conſtat ad extremum, juſto ſe examine ſervans.
Hujus in effigie trepidis mortalibus almum
Temperies monſtrat jubar, & ſua munia laudat.
Libra polum paribus latere ex utroque catenis
Induit in formam, & camurum concludit in orbem.
Libra regit mundum, tellus ne pondere magno
In nihil antiquum præter loca corruat ex ſe.
Libra pari ſervans Neptunia murmura lance
Dividit humorem fœtæ de pectore terræ.
Libra regens ſolem ſævi mala fata caloris
Temperat, & leni rerum juga frigore mulcet.
Libra gravem infuſo tellurem humore maritat,
Arida ne moles ſitienti tabeat arvo.
Libra rapacem ignis. Sævique rigoris amicum
Aera blandiciis in fœdera cogit amicis.
Libra animam æthercam juſto moderamine miſcens,
Humanos artus, & ſecula cuncta animantum
Apta cuique ligans monita, in vitalia junctim
Semina colliquat; Libræ ratione repulſâ
Lethum immane venit, ſancitaque fœdera rerum
Delet, & informi Chaos impietate reducit.
Hæc peperit, ſata Forma, Deo, mortalibus ægris
Temperiem egregium munera, mediumque furorem
Rumpit avaritiæ, torporemque exigit, acreis
Intus alens ſtimulos, queis inſuperabilis Uſus
Inquirit vitæ quæ ſunt quærenda tuenda.
Principio patriis ſit moribus unica norma

*Nosse modum, ne deterius bona dicta refutet*
*Exemplum: Vt potior visum subit, auribus hærens*
*Aegra Fides: si blanda oculis monstrata Voluptas*
*Turpis ob auditum pueri producitur; ille*
*Illic et ardebit, meliori teste secutus*
*Quo natura trahit: Scelus est immane suorum*
*Indulgere oculis, quorum pudet ire per aures*
*Historiam populi: Sic se moderatio menti*
*Insinuet teneræ, ne quà in latus improba nutet*
*Libra animi, sunt fœta malis mala secula culpis*
*Errorisque venit vitium sub tegmine, frustrà*
*Accusatum alii, cui fœdior hæret in imo*
*Pestilitas barathro, titillatura monentem.*
*Scrutari penitas opus est cum fæce medullas,*
*Temperiemque sequi: Iuxtà stat maxima vitæ*
*Exactrix castæ sententia: Iudicis antè*
*Omnia cernentis vultum versamur, amico*
*Ille quidem veniam placidus dabit ore; sed ingens*
*Pone sedet, custos morum, Sapientia, cui se*
*Excusare nequit, quisquis se teste notatur.*
*Nec non prærigidè Pietas arcana magistro*
*Poscitur, à quovis rationem exsculpere verbo*
*Mandat, & a factis moderari dicta decoris.*
*Sic qui sanguineo Mavortia fulmine tela*
*Vibrat, & accensæ tamen imperat altior iræ,*
*Non solum immiti ferrum cohibere duello,*
*Læsuramque manum compescere cogitur; intus*
*Vindictam spirantem animum, gravidasque dolorum*
*Exstinxisse faces, cineremque immergere Lethes*
*Somniferæ Domini Furor ore jubetur abysso:*
*Non satis est non effectu dare turpia vulgo*
*Facta manu; tacitè non consentire trahenti*

*In scelus hosti, hominem dio de semine cretum,*
*Exigitur: Pietas, densis objecta periclis,*
*Per mare per terras sursum atque agitata deorsum,*
*Turbinibus varijs, nil non audente tumultu*
*Fortunæque virumque, & sævi Dæmonis astu,*
*Diripitur; cui sæpe omneis Elementa figuras*
*Objiciunt lethi, miseramque in devia raptant,*
*Destituunt raptam, & nullo custode, relinquunt.*
*Connivente oculo super Omnipotentia cujus*
*Servat amans speculum, & paulum sub nube recedit.*
*Non tamen hoc solum Constantia flagitat, ut ne*
*Ipse manu quæras finemque ortumque dolorum*
*Sed mentem quoque ne dia à Ratione reducas,*
*Intima concepti servans mysteria pacti.*
*Quo tibi de cunctis consponsa est gloria pridem*
*Aerumnisque, malisque, ipsaque è morte tropæum.*
*Hic bona temperies æquans procul aspera rerum*
*Mollibus inclinat nusquam invariabile pondus,*
*Fixa tenens cœlo spe lumina, tuta serena.*
*Vt sciat atque usu generoso ante omnia monstret*
*Nil penitus vocem esse Mali; sortemque per omnes*
*Bacchantem furias, & nil jam audere paventem,*
*Non tamen ad casti mentem conscendere voti.*
*Quæ secura sui, nullo quatienda tumultu*
*Temperie stet fixa gravi: sive impia diris*
*Turbinibus Rota præcipitet rata munera pridem*
*Seu, vice non certâ, mutet tristissima lætis,*
*Vno operi constans vultu, cui Regia cura*
*Præfecit domum: si quem vesana libido*
*Obscœnusque decor lacit, & furiale renidens*
*Blandiciis, Venus, eximiis; domitorque Cupido*
*Flammiferum incendens forma de sidere telum,*

*Non genus egregium, & venturi in fata Nepotes,*
*Non socia, Thalamive, aut ubera matris amatæ,*
*Adsuetive locis anni, non sedula nutrix*
*Incensum sedant animum, quin funere in uno*
*Spesque suas, patriamque & se super ipsa trucidet.*
*Adde quod infesto volitantem ad mœnia telo*
*Sanguineum videat juvenem, flammaque cruentos*
*Vrgentem adscensus; ipsis in mœnibus urbis*
*Inque adytis divum & ruituræ sedibus arcis*
*Hostem amat infelix, Virtutem exosa suorum.*
*Namque aliud nihil argutis selecta Poetis*
*Materies dabit, exacto perpensa magistro.*
*Fabula divino generosum carmine verum*
*Involvit: Venit è longo forma ignea ponto*
*Atque urbem ingentem, florentem opibusque virisque,*
*Pignore Munitam divûm, quod servat ab illis*
*Auricolor, domini florens in tempore, crinis;*
*Intuitu ruit uno; hæc est data Copia blandæ*
*Vi Veneri dubiâ, & rediturâ in damna moventis:*
*Stet procul, & luxu latè devicta Nepotum*
*Fabula suspiret rea simplicitatis avitæ.*
*Namque viris quæ noxa fuit censita vetustis,*
*Nunc ludusque jocusque & casso nomine pompa est*
*Orba malo, præ quam veteris Venus impia technas*
*Nostra novat, triplicique auget lita tela veneno.*
*Nulla olim membris luxum sua veste movebat*
*Flore suo; quæ forma homini pulcerrima visa est,*
*Nunc minimum in nuda bacchatur funere Luxus.*
*Vestitus movet, & censu, non corpore, amatur.*
*Insidiæ fortuna virum, bombycis in aptum*
*Illecebris stamen furiosa mente fatiscit.*
*Plena malo, fœtore intus, disperdita morbis.*

Ruge-

*Rugosumque cutem mille in sinuamina laxans,*
*Ob tunicas, aurumque placet, non candida Virgo*
*Sed gravidam in Chlamydem centeno vulnere trudens*
*Quærendos artus, rabido male quæritur œstro.*
*Quod latet absconsa procul in regione per ingens*
*Agmen amat juvenis; fluitanteis pervidet oras*
*Fœmineæ, mentemque trahit fera in antra, crocota.*
*Illius infelix propulsæ ambagine vestis*
*Vita perit; gressusque notat, motisque laborat*
*Patranti in tunicis oculo: scit pessima pestis*
*Ingenium adscitæ, nativa hoc labe puella*
*Auget, & infesto deceptum involvit Amore.*
*Erecti mutant peregrino in vertice crines,*
*Excepti radijs gemmarum, & lumine picto*
*Turrigeram incendunt aciem; confinia lambunt*
*Purpureæ cirris demissi mollibus, auris.*
*Hanc utramque ingens baccato emblemate fingit*
*Pyramis, & gracili comtas adamante reducit.*
*Fusca superciliis nubes fuligine blanda*
*Insidet, & niveum nigro domat obice vultum.*
*Vt vario contrà sibi respondentia cultu*
*Decipiant oculos pigmenta, & lumina ludant.*
*Circulus in niveis roseus variantia malis*
*Signa movet, non ille suo contentus honore.*
*In cretam venit expressus de flore metalli.*
*Cætera quid longis opus est evolvere dictis*
*Ipsa tenax sequitur labes per dicta legentem?*
*Principiis obsta: facilis jactura repulsæ est*
*Quum nondum toto venans suffragia voto*
*Hæret in introitu; si libera tentat, ab ipso.*
*Serpit amor vitij conamine; pelle minantem*
*Assultus procul, & da formam oblivia culpent,*

*Quæ*

*Quæ vel visa semel fixis tamen ossibus hæret.*
*Debilis in primo cinere & vix visa resedit*
*Afflatum contrà, mox, Flamma, potentibus alis*
*Materiem amplectens dominatur, & arcibus altis*
*Immanem exscendit puncto sparsura ruinam.*
*Prima malum scintilla necat, si carcere in ipso*
*Pressa manu exspirat nudâ; mox turbidus imber*
*Vix poterit cœli tumidum sedare tumultu,*
*Ne te, sæva animi fax, ingeniosa Voluptas,*
*Percellat; mirare nihil; quæ blanda, minantur*
*Interitum; austero dolor impetuosius in æstu est.*
*Contemnas virtute latus; medio aëre librans*
*Indocilem nutare animum; placidissimus intra*
*Spemque Metumque late, Furias pulsure latendo.*
*Sit quoque quæ victum distinguat amica Voluptas*
*Quæ satiem citra, atque famem moderabilis ultra,*
*Pascat, & à tumido procul arceat ora veneno,*
*Quo Gula, quo Ebrietas armata, ferocibus omnes*
*Exstirpant stimulis monitus Pietatis apertæ.*
*Hinc iter in scelera, & turbatis sensibus amens*
*Temperies fugit; insano procul impete crudi*
*Succedunt morbi, morbisque nocentior omni*
*De genere, infelix peccandi & degener, usus*
*Ire retrò, aut fidi peccata audire magistri.*
*Temperies felix, cunctarumque unica mater*
*Virtutum, in cujus gremium grex omnis ab atrâ,*
*Tempestate, procul vitâ depulsus amatâ*
*Confugit, hospitioque Dea succedere gaudet.*
*Plena penus sanctorum operum, plena ætheris alti*
*Purificus flammis, unde orta immensa bonorum*
*Congeries, hominum incertas pote sistere curas.*
*Quâ Vindicta ferox certâ concedere normâ*

*Iussa retrò, furialem iram compescit habenis.*
*Quà Dolor incautus, quà blanda tabe Voluptas*
*Vincitur, & jactis Victoria sternatur armis.*
*Hanc neque trux acies sævi Mavortis in ignes*
*Præcipitem rapiat, nec Seiren improba cantu*
*Detineat, suavemque immittat in intima pestem*
*Carmine Dum facili dominatur in auribus ægris.*
*Temperies, cornu divum, quo Copia pollens*
*Usibus humanis Bona sufficit omnia cœlo.*
*Hanc morbi fugiunt, hanc turpia nomina, Curæ,*
*Et Quæsita malis Gaza artibus, atque refusa.*
*Spesque Timorque rotæ: quarum infelicior illa est*
*Quæ numquam capienda, ut mox potiunda, figurat.*
*Numen amans hominum; Sapientia nobilis Usu.*
*Cætera nam Sophiæ pigmenta, vocabula, ducunt,*
*Artibus egregiis animos vincire parata.*
*Hæc solide Virtus dicenda, & nomine toto*
*Usibus in veris sese mortalibus aptam*
*Oggerit: hanc solo Naturæ apprendere ductu*
*Quisque potest; quæ, prompta sui, dedit omnibus omneis*
*Felicis numeros ævi, qui temnere nolint.*
*O frugi vetereis, ô stirps Chazettia magnæ*
*Indolis; in rebus mortalibus unica quorum*
*Temperies Regina fuit: quam sidere blando*
*Aspicit hos Titan, qui per convexa vaganteis*
*In medio tenuere viam: procul extera turpeis*
*Frendeat in gemitus, & se, Fortuna, fatiget.*
*Nil nocuit parcis: Cum sobriâ mentis apricæ*
*Regnat in arce Dea, & clavum per marmora torquet,*
*Nil venti potuere, nihil variabile murmur*
*Aequoris indomiti, & toto cum carcere Nereus*
*Horriferi Tritonis ab Aeoliis præruptis.*

Hæc

*Hæc quæcunque vides studia & mutabile longum*
*Humanorum operum textum per mille figuras*
*Vna regit: sunt cuncta malis ob noxiâ Pœnis:*
*Hic quoque qui verum longo indagare labore*
*Doctus adest rerum quas fert Natura, vel orbis*
*Desuper octo aliis exercens nobile regnum.*
*Cum penitus densas animum penetravit in umbras*
*Stultior extitit mediâ de plebe Corœbum.*
*Iamque audax scrutari alti penetralia mundi*
*Se quoque dedidicit, speculandoque artibus usum*
*Eripuit communem hominum: Collegia linquent*
*Agmine huic, Sensus, facto. Stat pallida larva*
*Cæca sui; miserosque docere miserrimus audet*
*Incassum balatro, sine succo & sanguine pallor.*
*Vmbra velut noctu per busta invisa vagatur*
*Ignorata diu, malaque omnia visa relinquit.*
*Quod geritur Vitæque datur, stultissima secta*
*Fæce Sophistarum quæstus conspurcat amari.*
*Nec Ratio larvis jam salva; sed omnia diris*
*Exsecrati animis, secum quæ arcana venena*
*Mente coquunt, spuere in vulgus sine mente laborant.*
*Insani studiorum: hi cum tristissima Sortis*
*Effigies semper mutet felicia sevis,*
*Emiseras augent majori crimine curas,*
*Et statunt solâ lacrymarum in tabe beatos,*
*Qui sensere necem vivendi tempore in ipso.*
*Quo de fonte fluit, quo nomine nata vetustis*
*Sacrilega est scitis sententia; quippe homini ajant*
*Non nasci esse bonum, natum aut cito morte potiri.*
*Hos fructus contemta viris, hæc præmia portat*
*Temperies; cum ignara sui mens protenus exit*
*Arcanos Sophiæ semel exhaurire cavernas,*

*Queis*

*Queis illapsa manet, sensusque relinquit abysso.*
*Quæ tibi blandidicis numeris edicere pergam.*
*Adspice qui magni mentem scrutatur Olympi*
*Fixatque disparibus constringit sidera metis.*
*Legesque, strictæque docet Rationis in omneis*
*Imperium, a summo ducens mysteria Rege.*
*Cum segnes Saturni operas, & torpida multo*
*Astra gelu, summumque legens discriminat orbem,*
*Et Iovis egregium sidus, nec turbida Martis*
*Regna silet, mediumque inter bis terna recenset*
*Enduperatorem Lucis, fontemque profundum,*
*Solus honos Latio cui dat super omnia nomen,*
*Aetherium Solem, moderantem Elementa quadrigis*
*Temporis invicti domitorem, annique parentem,*
*Nec minus in varios sidus citò flexile mores,*
*Cui galea astripotens incincta volucribus alis*
*Virgâ armata manus, pinnis plantaria fulgent:*
*Blandividumque sacræ Veneris decus; aëre ridens*
*Purpureo, suavique domans spatia invia cesto.*
*Arcanæque faceis Hecates; quæ lumine prono*
*Tellurem pelagusque suis super alligat horis.*
*Dans sacrum in succos laticem, vitalibus herbis*
*Vnde vigor, Vitæque adsunt, unde arbiter ævi*
*Flos venit in terras, summo de Sidere Solis*
*Fæcundâ eductus propioris luce sororis.*
*Quam longè à verâ lapsus ratione recurrat,*
*Cùm procul ex adytis Sophiam speculatus inertem*
*Fata domosque docet, nascentibus omnia fingit,*
*Adspectusque malos & visa secunda figurat,*
*Oppositam exercens in stulta examina flammam,*
*Dans mortis vitæque ignaro e circite metas,*
*Et casus, totique ætati nobile punctum,*

Quo

*Quo labor & longus defeßi curſibus artus*
*Conſiſtant, abeant ſpaciis, ſtadioque recedant.*
*Hic bona Temperiei ſi noſſet ſidera, numquam*
*Mortaleis oculos intra penetralia cœli*
*Truderet, & ſoli loca cognoſcenda IEHOVAE*
*Inceſtaret hians cum nil ludibria præter*
*Pinnigradi ſenſus referat mortalibus ægris.*
*Quod ſi fixa nimis vanorum in pectora fas eſt*
*Erucre, & numeris evolvere carmina veris,*
*Aſtrifurens quæ ſcita docet Chaldæus; opertæ*
*Rimator geneſis, paullum tibi præſcia quid ſit*
*Noticia inſtantis fati, ſpecularier aptum eſt.*
*Scilicet aut fallax peccabit regula fandi*
*Aut firmo ſtabit, ceu ſaxum immobile, talo.*
*Aut medium ambiguo tutata vólumine pondus*
*Vtraque cum nulla poßit Ratione videri*
*Neutra erit, & nullis pendebit finibus in ſe:*
*Quod ſi falſa canunt mendacis ſcita Sophiſtæ,*
*Deludi miſeros, & relligione tremendâ*
*Incaſſum turbari animos, injuria magna eſt;*
*Major eô, quia vix doctos hæc ſomnia tangunt,*
*Simplicis at populi dominantur in auribus, & vi*
*Attonitas pellace trahunt; ſpebuſque fideque*
*Excutiunt, ſtupidoſque emunctâ nare relinquunt.*
*Sin aliquâ verum Ratione expromere credes;*
*Læta, vel adversâ contraria Sorte reponet*
*Aſtripotens Erro: bona ſi prædixerit, hæret*
*Deſidiâ vulgus, ſpeque officia omnia turbat,*
*Et patulo exſpectat divûm ſibi munera rictu.*
*Flacceſcunt Operæ, ſtimuli marceſcere vitæ*
*Occipiunt, jacet ignavo temone juvencus.*
*Otia pigra placent, gnaris quo ſe ordine fata*

 *Excip-*

*Excipiant, quo læta adsit Fortuna favore.*
*Tristia si pollens prædixit regula veri,*
*Desperare facit: quid enim labor irritus ausit*
*Cum cadere incassum sciat, & certissima juxta*
*Pauperies premat, ignarum se attollere contrà?*
*Hinc liquido possis decernere, sive deinde*
*Nosse futura queas, sive ignorare necessum,*
*Vtile nil penitus sagá tibi mente notari,*
*Hosque adeo male conspectum traducere mundum*
*Qui cum certa suis manantia legibus in se*
*Omnia sit docili ratione ediscere cælo*
*Sidera, & ingentem Domitorem à corpore tanto*
*Concelebrare animam, spe futile confectentur*
*Ludibrium sensus, quod gens Chaldæa Futuri*
*Inlusit numeris, doctumque in secula misit.*
*Hic super ex alto Libra invariabilis axe*
*Temperiem sua sura micat, suadetque micando.*
*Non uti se petulans & cæca furoris amati*
*Inpeniti, Ratio, mergat mysteria fati.*
*Sed cum concesso exscribat viridaria ductu*
*Cælestis campi, floresque, & nomina florum*
*Enotet in tabulas, charo monumenta Nepoti,*
*Non doceat magni scrutantem corporis artus*
*Mentem oculis diam seponere. Fusa per omneis*
*Quæ vegetat formas, & secula ducit in orbem.*
*Extra obitumq́, aditumque, locumq́, & tempora, & augmen,*
*Et Nomen, super Imperium, super omnia fando*
*Quæ potis, & quæ non contingere Sensus avendo:*
*Hanc decet, hanc jus est, non pro Ratione Modoque*
*Ingenij humani laudare, & didere cantu,*
*Sed queis se ipsa sonis, numeris quibus ipsa coli se*
*Iussit, & æterno sanxit rata carmina libro.*

*Hic satis est operum, ne mens bacchetur in excors*
*Spectandi studium, sine magni laude parentis,*
*Sæpe etiam hanc contra, fixi penetralia mundi.*
*Nec tamen & frustrà d cas variata notari*
*Temporis inscripti tabulis momenta severis.*
*Annus ut in dupliceis bis volvitur impiger horas,*
*Veris & Æstatis certissima pignora portans,*
*Auctumnumque Hyememque: hic sunt sua tempora menti*
*Artificis docti; Naturæ dædala virtus*
*Pendet ita ex astris, ut sit Rex omnia volvens*
*Qui teneat, ducatque opus inturbabile casu.*
*At studio immani metas excedere dirum est.*
*Ipsa ideo, auctumni domitrix, æquabile signum*
*Nullibi adest terris, sedem sibi servat Olympo,*
*Libra potens animi, ventosaque mancipat astra*
*Perpetuis nebulis, & opacæ noctis amori;*
*Cum Sol flammiferis excito flumine telis*
*Visceribus terræ densam extrahit æthere nubem,*
*Ut sit certa fides raram vix tempore sero*
*Pendentis vitæ in mortem spem fulgere lenti*
*Compositricem animi: nam moribus effera virtus*
*Florentem vitijs damnat plerumque juventam:*
*Cum jam turpe caput conspergit cana senectus*
*Aridus exsucco stipes venit ore, monendo*
*Ludibrium pueris. Tum tum ærumnabile corpus*
*Temperiem non sponte cupit laudare, recensens*
*Tractam opere informi non longa in puncta juventam.*
*Invidiâ non fruge nova succendere gestit*
*Præcipitem Sophiæ juvenem pallentis amore:*
*Qui quondam ex omni carpens fœdissima facta*
*Colluvie scelerum, nil non tentavit, Iacchi*
*Et Veneris crudique immanis verna Gradivi.*

 *Effu-*

*Effœtus mores commendat; amabilis ætas*
*His credenda bonis, tum vivere nempe putabis*
*Egregium castè, cum prona Licentia juxtà*
*Avocat in latus, & pleno venus ore renidet.*
*Vix adeo salvum terris, Dea Libra, retentat*
*Nomen: at in vacuum Chelæ venere procaces.*
*Quippe ubicunque velis pariles inquirere formas*
*Vt sibi comparibus constent, dominentur, & adsint*
*Officiis, Anima, & Corpus, fata femina Cœlo*
*Et Tellure, jugo quos vinxit dispare Fati*
*Imperium, jussitque ævum decurrere junctim.*
*Sic Regum à primâ dicens examina sede*
*Pauperis in lacero deponas tegmine Codri,*
*Si medias longo scrutabere tempore Vitas,*
*Nil pia Temperies nisi cordolia una videbit,*
*Seu Procerem stimulis mamœna furentibus aufert*
*Bellonæ tuba, seu retro grave Copia torquet*
*Numen, utrinque sui cadit efferus; omnibus auctor*
*Exempli infidi; si proxima nomina cernas*
*Erubuere via in media consistere morum.*
*Quærentes, quà fraude mala qua præpete ferro*
*Ire ad celsa loca & calcare obstantia luxu*
*Turpis Avaritiæ; generosa in tegmine luget*
*Atrato Virtus; cui vincere barbara bello*
*Agmina difficilis minus est labor, atque suorum*
*Pellectum stimulis animum scelerum, ire repressum.*
*Quem Dea cum subigit, tradit sibi, ne catus exsul*
*Ignoret sua jura domi; tantum arbiter hæret*
*Censendi quæ recta alte, & devincitur ægrè.*
*Illa, Voluptatum domitrix, partem odit, & intrà*
*Conspectum vetat esse suum, partem exigit altæ*
*Iudicium ad normæ, & nocitura unà omnia circum*

*Ampu-*

*Amputat, ut fructu, citra geniale venenum*
*Mellis, in extremo florentis cortice, pascat*
*Sancticolentem animum; nec vulgi turbine virus*
*Imbibit horrendum, dum vitæ suavia propter*
*Vlcera sectatur nectar furiale sub umbras.*
*Nempe nec arbitrio Veneris, fruitura Dionæ*
*Muneribus, Bacchi imperio nec dedere venas*
*Apta, sitim propter: Ceteri non subdita fœdæ*
*Ambitione gulæ; non nisa potentibus exlex*
*Imperium struxisse viris, ut vivere contra*
*Fas velit, aut libitu licitum liberare feroci.*
*Divitiis non serva suis; sed Numen herile*
*Dispensans animi per corporis omnia regna,*
*Adfectusque domans, ignavaque pectora flammans.*
*Illecebras usu frænans, & mollia fructu.*
*Hæc propter sobolem suavi lenitur Amore,*
*Conjugis in castæ thalamos, mulcetque serenâ*
*Serietate dies, non vulgo vilia jactat*
*Semina, nec prolem incestam dignata furore est.*
*Ordine sed justo, justo ceu prosata patrum*
*Conjugio, in seros stirpem dat abire Nepotes*
*Legitimam, nec prisca thori mysteria sancti*
*Obscœno rumpit non certi herede parentis,*
*Quem Leges, quem jura fugant communis honore*
*Humano vitæ, maculosus ab omnibus, insons*
*Truditur, ipse licet: gravis alto in sanguine nævus*
*Hæret, & haud ulla virtute exscindier audet.*
*Hæc suavem in potu non adspernata liquorem,*
*Vtibilem lætis laticem sermonibus inter*
*Convivas ridens sibi sæpè indulget honestos.*
*Non mala ut Ebrietas sensus corrumpat, & atra*
*Nube ferat tristem ingluvieî crudelis Amorem.*

 *Illa*

*Illa procul dat regna gulæ, nec vivere credit*
*Vt consum. insumat epulis, sed pascere corpus*
*Vivat uti, studet, & facilem se servat utrimque.*
*Hæc inter studia & sanctæ pia gaudia vitæ*
*Illa fuvit miseros vitæ melioris Olympo*
*Spes breve mortalis monstrans discrimen agonis.*
*Horam abijt fugiens hora, atque sequente sorore*
*Deficit; ossura locum vix tertia quartæ*
*Visa perit; cum præcipitem duodena per orbem*
*In se obit; ficere diem, nox instat; ita inter*
*Sermones medios annum rapuere jugales*
*Aligeri: crescunt spacia acta volucribus ex se*
*Augminibus, sed vita fugax consumit agenda:*
*Morsque extrema subit finis. Dum secula sentis*
*Subterabire, nec acta sacrum deprendis in orbem*
*Consumis spectator homo tua tempora tecum.*
*Dumque alios spebus mirare evolvere Fatum*
*Ipse ruis, non mortalis nova pompa theatri.*
*Qui longinqua putans celso videt ore ruinam*
*Florentis soci, non visa in spicula currit.*
*Quid te anni juvere senes, incanaque menti*
*Proluvies? centum puncto si secula mutant*
*Cum raperis, non nata putes quæ viscera turpi*
*Consumsit carie jus inviolabile lethi.*
*Relligio nisi sancta vetet, Rationis ad altæ*
*Arbitrium Fidei domitrix: Speculare ruentem*
*Dum vitæ constare fides pote: dulcior ista est*
*Quam quævis Sophiæ Christum, pars, rite professis.*
*Hanc si Temperiem miseri cæcique sequantur,*
*Nullus homo incassum vivat sibi: nunc male cuncti:*
*Cui nil falsa sui dedidit opinio census*
*Omnia habet, quia ea omnia habet quæ flagitat Vsus,*

*Sive hæc pauca voces, licet & paucissima; contra*
*Sive hæc multa voces, vel plurima; nemo tenendo*
*Queis opus est, non cuncta tenet; nemo omnia habere*
*Qui cupit, ullius dominus perhibebitur unquam.*
*Ipse volat cursu sua puncta redire sub umbras,*
*Rerum usus superest, succedunt scilicet orbe*
*Perpetuo hæredes hæredibus, ultima donec*
*Natio mutabit cum rebus jura fruendi.*
*Nec quisquam domini cavisse sequentis habenas*
*Aut studuit, studiove suo est cum fruge potitus.*
*Interibi commune colit stabulum ægra colendi*
*Gens humana sui; quisque est homo, dis quoque quisque est,*
*Ni se pauperiei turpi male damnet habendo.*
*Collige sic: Commune homini Sol fundit Olympo*
*Lumen; aquas communis agit in flumina Pontus,*
*Et recipit, postquam cursu meruere reverti.*
*Telluris quoque fructus erat communis; at illam*
*Iusticiæ distinxit amor, Respublica crevit.*
*Sis potior multis opibus: cum vita recessit*
*Quid tenuisse juvat vitalia plura Sodali,*
*Qui superest, breviora quidem? Stat Opinio pallens*
*Incestatque ævum truculenta furoris habendi:*
*At generi humano, quodcunque est, vixit, eritque,*
*Hoc tumulum, sollers complecti cuncta, notavit*
*Carmen apud veteres; veteris stat gloria Musæ.*
*Curre, vola, rape, trude, trahe, aggere, & omnia solus*
*Posside, habe nihil, hinc cito abi, & mihi cuncta relinque.*
*At procul ipsum initum vitæ, incunabulaque ævi*
*Dia Deum retinens tereti, Moderatio, dextrâ,*
*Clamat; jo populi venturi in secula, vestris*
*Culta prius patribus, recolenda Nepotibus exin,*
*Me Numen dat Cura Dei, quod cernere pravis*

*Pulcra queam; date thura manu, date serta corollis*
*Illa ego quæ imperium vota in mortalia servo,*
*Vos ducam Patrona manu alta altaria cultum*
*Omnipotentis heri, vos me vos casta parentum*
*A primis soboles cunis ad fata secuti*
*Ultima, noscetis fidam monstrare salutem.*
*Feliceis, ævique aurei gens debita seclo,*
*Qui vocem audivere Deæ, qui jussa secuti*
*Perpetuum roseis degent in floribus ævum.*
*Fortunam arbitrio famulam dominante tenebunt*
*Immittentq; sibi, & placido moderamine frangent*
*Turbida cum obscanis infulminat aucta procellis;*
*Illecebras spernent, spretis ad sidera tendent*
*Pectora deliciis: virtus quod cætera Vitæ*
*Cunctq; parit, servat Modus, &, Pater, usibus infert.*
*Robur in antiquâ nullum est non flexile silvâ,*
*Si magno connisus ades sudore; nec ullo*
*Momento intentam pateris flaccescere curam.*
*Quid ni animus, quem spirituum vocitare queamus*
*Compositam Harmoniam, recto torquente labore*
*Surgat in erectum Regem adsectusque, suique*
*Si vigil aßiduæ cogas adsuescere luci,*
*Atque insistes Operi: quid enim? se pronus in æquam*
*Ipse dabit lancem, Libra si sidera cœlo*
*Spectabit medio: medio modo Libra sub axe est.*
*Quod si dura putas magno dare jura labori*
*Et studiis hærere piget; quæ tempora vanis*
*Diis tamen inceptis, ne te vicinia risu*
*Excipiat, medio linquentem in pariete tignum,*
*Da vero summoque bono; florere videbis*
*Dum florere negas, inopinaque gratia duris*
*Succedet studiis, subnasceturque Voluptas.*

Et le-

*Et levitas non est vanus desistere cæptis*
*Sed gravibus: si qua est fugienda cura, politam*
*Temperiei mentem numeris servare memento.*
*Consilium sapiens nemo grave mutat, in illo*
*Dum fructum Vitæ esse putat: tibi maximus auctor*
*Felicis vitæ si vis constare, subito*
*Iura Modi in rebus: fuso Respublica Magno*
*Invictum semper vidit vicisse Catonem,*
*Nempe sui Dominum. lacerata Potentia cessit*
*Cæsareis Aquilis, nulli Cato. Pectoris ipse*
*Quippe sui Cæsar. Vultu quo Regia clades*
*Exscindenda fuit, cecidit Clarissimus Heros.*
*Nulla. illum Fortuna movet, non elevat illum*
*Non Bellona premit; manet insuperabilis intra*
*Iustitiæ tutorem animum: quo lumine fædos*
*Exegit patriâ nuper florente Cethegos,*
*Hac obiit Victor victi Victoris, & intus*
*Incolumem, in vulnus misit, se teste, Catonem.*
*Erubuit Magni non pro se cedere Vita*
*Umbra virum; ingenti, Victoria, vulnere læsa,*
*Cæsareas tristi tremefecit fulgure laurus.*

*Firma quidem factis prima est data norma sequuntur*
*Quæ fixum virtute animum, ne turpia quisquam*
*Ne faciat damnanda olim, sed judice longè*
*Anticipet visu pretium, quo nomine quodque*
*Censendum veniat, licitum, illicitumve feratur.*
*Indignatur amans virtutis amilibus extrà*
*Conspuere à maculis mentem, quæ præstat agendi*
*Imperium, Patrona sui: Tamen est quoque dictis*
*Egregiis servandus honos, nil turpe, nec audax,*
*Futile nil, leve nil, nil sobria pectora cultu*
*Fucatum subeat mendico, & fallere tentet.*

*Cumque ita nil subeat pectus, nihil exeat ore.*
*Umbra Operis sermo est. Lasciva loquentibus intra*
*Molle jecur Veneres dominantur; acerba libido*
*Nec dum dulce nefas juvenilibus ausa Pudoris*
*Imperiis, blando titillat carmine sensus;*
*Cujus in excelsis hæret defixa medullis*
*Improbitas, donec spatio cum ætate potita*
*Pullulat in facinus, meditataque raptat in usum.*
*Nec minor est oculis tutela vagantibus auri*
*Debita; cui viso festivæ flore puellæ*
*Omnis in obscœnos juvenis defluxit Amoreis,*
*Et rapidum sedare volat temerarius œstrum.*
*Sic ubi præceptis nondum stabilita severis*
*Argutæ Veneris mellita vocabula pronâ*
*Aure bibit, mens grata mele non tota reponit*
*In studium Sophiæ; penitus sedet improba Seiren*
*Visceribus, tandemque exosa repagula rumpit.*
*Prima, sed assuescat Gravitati protenus ætas*
*Exemplis ducenda virum. Constantia robur*
*Intrepidum servet pugnis; ne dum alba meretrix*
*Ut tumido ingenteis animos infringat ocello,*
*Aut tenerum blando diducens murmure guttur*
*Virtutem enervet; non hæc in bella virileis*
*Spondentur vireis; nedum ut Victoria tetræ*
*Thaidos in gremio Laurum deponat inertem,*
*Quam jam celsa Iovi Patrio Capitolia poscunt.*
*Quo ruit in cuneos vultu Mavortis amicus*
*Indocilis victo nisi cedere milite campis*
*Adverso, Marius? totæ tremuere cohortes*
*Fulmineum visu juvenem, qui Turcica regno*
*Fecit patrio non uno sceptra duello;*
*Epeiri quondam Dominus; cui Martius ardor*

*Emicuit labiis,densum cum cerneret hostem,*
*Sanguine purpureo,nec dum strata agmina; ferro*
*Intactum corpus generosi rore cruoris*
*Spiritus adspersit voluens immania facta.*
*Vnus in morem Calonis agentia turmas*
*Agmina mille virum fugiunt; furit impiger Heros*
*Nobilitate suâ; nec enim nimis,inscius auræ*
*Versilis,indulget campo; Victoria mulcet*
*Temperiem, prævisa diu, sequiturque cupitam.*
*Cerne mihi contrà cui mentem aut fuscat habendi*
*Ingluvies,aut fœda solo depreßit,agendi*
*Deliciis ærum Venus,invidiosa Tyrannis.*
*Ille ubi sæpè acri conspectam lumine coram*
*Perniciem damnat, tamen improbus exit in illam,*
*Et properat medios in futilis hostia cultros.*
*Hunc levis & facili serpente inc[illegible]a venustas*
*Quottidiè irretit plagiis, castratque potitum*
*Omni intellectu: rident prima orsa, sed atrox*
*Principium venit in jucundum finis, & orco*
*Sidera vecordi ructantem carmine mersat.*
*Tanta mali labes,& tanta ferocia monstri est.*
*Aeger homo,quod posse unquam desperat apisci*
*Quærit id aßiduè,nec se sapit ipse ferendo.*
*Hunc semel informi subjectum ad crimina Pesti*
*Ventus agit leviorem auris; sibi dum nova semper*
*Exquirit tormenta,& tempora captat; Olympo*
*Ridet cum castæ, præpes Constantia Libræ.*
*Perpetuæ Signum Vitæ; non turpis habebit*
*Autumnus foliis silvas spoliare virentis.*
*Non hanc Bruma rigens viridi turbabit honore*
*Torrida nec radiis æstas; nec turbidus æstu*
*Tabiosæ Canis Erigonæ: sed amabile semper*

Ver

*Ver colet, inriguis auris, & frigore blando,*
*Demulcens; animæ vivam spirantibus almæ*
*Flatibus Ambrosiam cælo nova secula ducent.*
*Ipsa piis toto fonte Omnipotentia coram*
*Laxabit spectanda polos: ridebit ab Omni*
*Temperies latere & Christum ipsum amplexa tenebit.*
*Salve prima Chori Virtutum, omnisque magistra,*
*Soli Sancta tibi; te turbidus error & effrons*
*Improbitas fugiunt perculsi Numine magno.*
*O Dea nota mihi, cum mens exosa Tumultus*
*Terrenorum operum, versaret in omnia sese*
*Ut pretiis rerum secum invigilaret agendis*
*Sub trutinam; quæ sancta legens, quæque impia, longè*
*Proiiciens, ut tamdem ingrata fæce levata*
*Purificis cælum manibus dea quæreret in se.*
*Proxima Diis Virtus: animosa in paupere cultu,*
*Nil non Sola tibi, dum frivola tennis; & alto*
*Queis studio insudant mortalia, mente profana,*
*Spernis Opes, vitiorum alimenta: ô nobile Libra*
*Clarentis cælo moderamen, in orsa meorum*
*Lenis ades numerorum, & vim compesce vagantis*
*Ingenii; tecum per læta per aspera côdem*
*Pergamus vultu; jam non procul aurea pendet*
*Serta; dies abeunt curti, perit improba Vita,*
*Vera subit; da, Christe, brevem mutare perenni.*

FINIS LIBRÆ.

C. BAR-

## C. BARTHI

# ZODIACI VITÆ CHRISTIANÆ.

## LIBER VIII.

### *QUI ET SCORPIUS.*

*Chaldæi vates, tuque apta potentibus ævi*
*Noticiam radiis, fatorum conscia, Memfis.*
*Delficaque ad numeros, Laurus, bacchata Sibyllæ,*
*Antraque veridicis tripodas quatientia dictis.*
*Et Dodona sagax, sagisque Hetruria signis*
*Gnara dare in vulgus descriptas fulminis alas.*
*Nec Pelusiaci minus incola docte Canopi,*
*Nomine avos referens Reges; cui flammea parent*
*Lumina perpetuos cæli volitantis in orbes.*
*Dicite quæ fœdo species dirissima tractu*
*Serpat, & hinc Chelas medio premat obiice frangens,*
*Illinc telifero juveni vicina residat?*
*Illa poli commune malum, quæ cætera sævo*
*Territat adspectu, soli sibi grata, veneno*
*Squallenteis armata toros? Stat pallida longè*
*Priscorum series vatum; nec Thuscus aruspex*
*Agnoscit dirum sidus, cauturave monstrat*
*Incertus vitæ præsens medicamina lethum.*
*Tu mihi, chare puer, cuicunque hoc fama recensens*
*Egregii carmen juvenis, mea dicta, propinas,*
*Pollicis arguti docto sonitum exprime fatu.*

*Scilicet*

*Scilicet ut membris moderatæ Gratia chordæ*
*Hærenteis abigit morbos, animoque vocato*
*Harmoniæ ad genium truculentos eiicit æstus.*
*Sic tibi blanditiis referans mystéria verbis*
*Antiqui penitus terrorem exscindere nervis*
*Hostis; agam numero ad choreas medicabile carmen.*
*Tu quæ Forma polo mortem minitata tremendas*
*Hinc atque hinc laxas curvata cuspide chelas,*
*Non veteris censi memorem Orionis, maneus*
*In ventos vibrare minas, & sidere duplo*
*Occasum exortu, exortum occasu ire secutum.*
*Sed tibi terrificas acies, tibi vertere curvam*
*Permitte caudam immani, tibi voluere viru*
*Liventeis nodos, Stygiumque à fronte venenum*
*Lunato torquere gradu. Nempe impius ille*
*Hostis adest, primos qui sancta e sede parenteis*
*Expulit in vitia, & morti dejecit amaræ.*
*Heic omnes molire animo comprendere technas*
*Principio à primo quibus efferus insistit orbem*
*Cocyti ad pice mananteis demergere rivos,*
*Ignitamque paludem, æternis horrida pœnis*
*Hospitia; His uni tibi cominus omnibus instat,*
*Retia subvolvens curarum, & dulcibus hamis*
*Arma voluptatum, cæco discrimine, nectens,*
*Ille adeo æternis tibi noxia tela ministrat*
*Pectoris in thalamis; queis tu, tibi perfidus, horrens*
*Opponas animi bellum, vincare, vel atrox*
*Suffugias lethum, tamen irrevocabilis ausu*
*Hæreat à primo testis, qui gesta ferendo*
*Ante oculos, det quotidie majora sub auras.*
*Non tamen à culpâ vacuus secedit amatâ*
*Qui sequitur prono raptanteis impete currum*

*Aligeros procul affectus: Quia Gratia Christi*
*Proposuit formam Mortis, quam nobile cantu*
*Ducit ebur cœlo, Nepa quam truculenta figurat.*
*Sed ne vana labor nemo premat Orgia vitæ,*
*Et quasi non meritis, sed puro numine, coram*
*Penderet, sine luctifico sudore, Corona,*
*Apprendenda viris; juxtà bona crescere jussit*
*Et mala sub vitam Pater; ut rata vota piorum*
*Dura per, ascendant supera alta; at turbida terræ*
*Proluvies, justo sese ipsa furore trucidet.*
*Nec tamen his dictis illuc nos tendere credas,*
*Ceu mortalis homo vetiti post crimina morsus*
*Viribus in propriis quærendam rite salutem*
*Ipse sibi fabricare queat: Sed Gratia velox*
*Conatum exæquat meritis: cumque ardida Amore*
*Mens Domini molitur opus; dat desuper altus*
*Effectum pater, & sua se in pia vota reclinat.*
*At stolidi, ut nullo gens plurima constat in ausu,*
*Ipsi homines, cum posse retro se cedere discunt,*
*Posse etiam contrà factis apprendere vitam*
*Ah miseri, nullà rentur Ratione per umbram!*
*Lex etenim nullo culpabilis ardua puncto*
*Corpore, sed toto complenda, immania monstrat*
*Indicia; incassum mortali percita palpo.*
*Hæret ei altior in penitis penetralibus error,*
*Commissi semel interitus. Nec jam ulla relicti*
*Spe veniæ est collis, nec supplent vota reatum.*
*Stricta, sed hinc animum sublimi forfice terret*
*Horrendum intentans sceleri Nepa virus Avernis.*
*Quod nisi se in medium daret insuperabilis agmen*
*Gratia, non ulli foret æqua Salutis imago.*
*Sed Fidei exsortes, depulsi spebus avarum,*

Concide-

*Concíderent unâ mortalia secla ruinâ.*
*Nunc ubi, non meritis, Fidei, sed numine solo*
*Vita venit; cedensque alta ad templâ ætheris ipse*
*Iusserit hanc Christus vetereis delere reatus:*
*Ut qui lota sacro renovaret corpora fonte*
*Et fixo divis se pectore crederet actis,*
*Viveret æternum; quod contrà ponere possis*
*Infelix meritis pretium non adsequor ægris!*
*Sed quia non pœnis, non diræ mole luelæ*
*Mille nec auspicibus mortis terrere fideles*
*Scorpius ater habet; transverso turbidus æstu*
*Fidere promeritis cæcos jubet: Illicet exit*
*Spes antiqua procul, secedunt orbe protervi*
*In vana Pietate homines, mundumque relinquunt,*
*Claustraq; jam subeunt; ut libera nempe libido*
*Arcanorum operum sese indulgeret in actus*
*Mimica deludens miseræ postscenia Vitæ.*
*Hoc, ceu fonte bono, quem recto pectore prisci*
*Calcavere Patres, novus in nova secula torpor*
*Invexit virus lethale, atque arte veternum*
*Induxit cæcâ, lacerans Pietatis Amorem*
*Injecta contra Probitatis imagine vanæ.*
*Pronus adoravit sepoſto denique Christo*
*Orbis atrox suavi subtextum melle venenum.*
*Donec ad extremum illecebris studia omnia castæ*
*Submisit vitæ; Fidei non ulla superstes*
*Regula erat; sed turpe extrema in tempora carmen*
*Composuere sibi; dubitandum esse usque salute*
*De superâ ad mortem: dein surgere vindice flammâ*
*Purgandas de morte animas, modo vile sacerdos*
*Aeruscans munus Sanctorum invergeret aris.*
*Intereà nigro viru turgentibus alis*

*Secula*

*Secula obumbrabat dira Nepa peste, Sophistas.*
*Imponens Cathedris; ut Christi Ecclesia dudum*
*Moribus integris & castâ candida vitâ*
*Obrueret menteis textæ Rationis amore,*
*Ludibrio in nebulas textæ, ne fila retrorsum*
*Vmquam adeo legeret; seseque ingrata tenebris*
*Exsueret propriis Anima, immortalibus astu*
*Nexa plicis. Sophiæ torpebant simplicis arteis,*
*Nec non sacra Dei pandens oracula linguis*
*Egregio, Doctrina, sono. Super omnia vecors*
*Regnabat schola morosophi balatronis, & omne*
*Pileus in facinus ruber ibat, ab indole roris*
*Sanguinei, stringens mox ipsa in sceptra furorem.*
*Enduperatores magni pede pressa jacebant*
*Corpora, projectæ ceu vilia Thaidos ultro*
*Mancipia; & stabulis meretrix egressa luparum*
*Calcabat Reges. Non ipsius ullus IESV.*
*Salvus adorandi mansit honor: impia molli*
*Vix titubans Gnathæna sinu prodibat, & ingens*
*In pretium vitæ Pedis Oscula fœda ferebat.*
*Nec Babyloniaci stetit hic stirps postuma monstri,*
*Ausa Semiramio divendere fascina ritu,*
*Spargebat venalem æris clangore Salutem,*
*Exscriptam tabulis, signatam fulmine Ceræ.*
*Huc neglecta Fides huc spretæ protenus arteis*
*Præcipites egere homines; cum credere sese*
*Cœperunt meritis, solamque amittere visu*
*In sublime viam, quam victima nobilis, Agnus,*
*Monstrat, & ignotam proprio testata cruore est.*
*At nos, pura novâ vestit quos Gratia luce,*
*Electi in vitam Proceres, qui judice quondam*
*Ipsa super cæli veniemus carmine signa,*

O *Scimus*

*Scimus, & æterno sanctum testamur Amore*
*Casurum in flammas mundum, subituraq; finem*
*Omnia, principium primis debentia fatis.*
*Sola Dei promissa intermina cuncta manere*
*Non apicem fractura unum; quin plena piorum*
*Succedant spebus, suspensaque vota coronent.*
*Nec tamen hic etiam sublimem in vulnera fas est*
*Contemsisse ferum. Secura licentia molleis*
*Ducit in illecebras & nullis gaudia frænis,*
*Vnde libido sata est, unde, ægro corde, voluptas;*
*Et vitæ ad normam recti contemtus agendæ.*
*Non hoc fine mihi se Gratia fundit ab alto,*
*Vt vivam placito ipse meo, sine lege, tyrannus*
*In moreis aliorum, in me mihi mitior æquo.*
*Sed faciam tota quod possum mente; nec ullum*
*Amittam totis connixus viribus augmen*
*Temporis, vt veniens servum me prendat in illo*
*Quod mihi commisit, Dominus: cum imbellia non jam*
*Pectora cernam operi satis esse, ibi Gratia demum*
*Dia venit, solata inopem: non lege solutum*
*Indultura nefas; sed spem fixura potentem*
*Supplendæ Fidei. Vocat hanc Oratio, sollers*
*In nullum titubare latus; sed sistere fixum*
*Quottidiana animum Christi in commercia votis.*
*Illa quidem via sola, polo quæ ducere norit,*
*Ambitione procul mortali, & Amore tenendi*
*Plurima; congestis cum mens secum Enthea certat*
*Spiritibus terrestre chaos mutare Deorum*
*Conciliis: tum qui variis movet orgia linguis*
*Infantumque aperit voces, & guttura laxat,*
*Abba canit verum, perculsaque pectora raptat*
*Spiritus, extrà omnem peritura lucis amorem.*

Extemplo

*Extemplo turbatæ acies barathronis avari*
*Secedunt campis; hic retia jacta videbis*
*Hic omnes sparsisse dolosque artesque cruentas,*
*Sanguineasq; Erebum fraudeis. Dux aliger inter*
*Principia incedit Michael; cui cominus hæret*
*Ensifera terrens, Raphael, Stygia agmina dextrâ.*
*Hos dedit electis Comites, fortesque duello*
*Consiliisque graves Dominus; cum pronus amatis*
*Inflexitque aures precibus, jussitque potiri*
*Speratis opibus; quin ultrò plura benignè*
*Accumulat Pater ipse manu. Memor hostis Averni*
*Pejoris cedit pugnæ; cum Regia primum*
*Adfectavit iners spreto diademate Christo.*
*Innumeris tum trux Furiis, densaque phalange*
*Fœdorum fastu Geniorum, in celsa Tonantis*
*Agmina frendebat bello, seque ipse movebat,*
*Spe cælestem aulam superans; jam conditor almus*
*Vilebat misero, & pollens vi, fraude, dolisque,*
*Cum se immortali florentem luce putaret*
*Vel citrà imperium Domini satis esse regendis*
*Omnibus, incubuit furiis; dehinc millia multa*
*Traxit in exemplum atq; amentibus induit arma.*
*Mox stridore gravi, & mentito fulmine pugnax*
*Illisit cælo cuneos; tremuere Deorum*
*Sidereæ sedes; ipse inviolabilis auctor*
*Pacificæ virtutis, atrox ubi fervere bellum*
*Incassum furiis sensit bacchantibus in se.*
*Officii admonuit proceres. Ruit Ocyor Euro*
*Vi verbi ætherei Michael, gladioque tremendi*
*Accinctus fati contrà venit effera signa.*
*Tum Domini è labiis, sanctæ penetralibus Aulæ,*
*Prodiit immortale sonans vi præpete fulmen.*

*Attonitæ cecidere acies; pulcerrimus Augur*
*Illicet incumbit stratis, ipsumque tyrannum*
*Frendentem immani tonitru, ter circite magno*
*Torquet agens circum, mox præcipitante per auras*
*Deiicit elisu: ruit ille, & Tartara casu*
*Præterit; inde imis Erebi stagnantis in umbris*
*Sulfure fumantem piceo subit horridus amnem,*
*Aeternumque colit pœnis; hunc mille sequuntur*
*Millia mox sociorum; unaque excisa ruinâ*
*Tota perit acies superis inimica maniplis.*
*At belli in monumentum, immortalesque Nepotum*
*Humani titulos generis, Pater addidit astris*
*Atricolorem anguem, qui mille volumina nodos*
*Curvet in enormeis, & aduncâ forfice frontem*
*Retrahit in scapulas, crustataque tergora voluit,*
*Mortales dixêre Nepam; seu Scorpius olli*
*Verius est Latio nomen, quo nulla figura*
*Sævior est astris, viruque tumentior atro.*
*Tu cave contemnas quod tam procul apta videri*
*Effigies servet liventia vincla veneno.*
*Ipse prope est hostis, nec tu tibi proximus ipsi*
*Es propior quam pestis atrox. Leo circuit horreus*
*Rugitu infesto, & rictu ferus ora trisauci*
*Explicat in cladem. Non ulla potentia restat*
*Humanorum operum forti, quin turbine prono*
*Agmina ceu flatu facili vaga differat hostis.*
*Una malo medicina; Preces: furit impius Erro*
*Deterior quia finitimos accedere fineis*
*Imperii sentit, paullum sibi temporis isthinc*
*Esse super, quod Cura dedit divina suorum*
*Concilio, per dura trahens discrimina in altum.*
*Tu precibus te trade piis; nec desere mundum*

Dum

*Dum vitam tibi fata dabunt; sta fortis in hujus*
*Officiis; molleis qui visa pericula vitant*
*Mandatum contra Domini; Non ille coronam*
*Desertor stationis habet; sed prælia multo*
*Sanguine laurigeræ donabunt frontis honorem.*
*Ille cui virtus inamœna pericula ferro*
*Rumpere, & hostileis cum sanguine frangere turmas,*
*Sanguinis impensi pretium, crudique laboris*
*Aeterni decoris capit in pia tempora testem.*
*Nec statio te dura nimis percellere debet,*
*Nam qui onus imposuit, cum te non esse ferendo*
*Cernet, subsidiis aderit; Clementia velox*
*Conatum infirmi meritis adscribit amici*
*Claustrales qui, triste, fores tibi sidera censes,*
*Vt procul adspicias humanæ crimina vitæ,*
*Criminibus latam Stygiis aperire fenestram*
*In tua damna venis; Vt enim mortalia cuncta*
*Lumina suffugias, te te tamen attrahis in te,*
*Terribilem, delire, facem: quia pronior herclè est*
*In vetitum nullo generosa licentia teste.*
*Quod si adeò stimulos atavitæ labis amaros*
*Sanguineque hærentem in penito vitare valeres*
*Atrocem morsu genitorem: illa improba forsan*
*Nunc fuga, cordata niti Ratione valeret.*
*At miser, & merito captis miserabilis istis,*
*Te sequeris quacunque fugis, quacunque latebras*
*Obturabis ope, & cæca te in nocte reduces,*
*Peccati comes ibit Amor; Comes ibit in atras*
*Corpus hinc tenebras, ipsoque in pectore sedem*
*Monstrabit fixam esse mali: pugnare superbo*
*Non melius poteris Regi, quam fundere contrà*
*Assiduas in vota preces, patriamque potentem*

*Veridicæ Sofiæ, nullo temerabilis æstu*
*Ventusve pluviusve, aut diri sideris ictu*
*Suspirare procul: Certè Sapientia ducit*
*Huc quoque nos humana virûm: qui vincere contrà*
*Viribus instantem propriis nequit, ut velit, hostem,*
*Auxilium implorat maioris; & illius armis*
*Expellit pestem: Quod si tibi constat Olympo*
*Certa salus, quam sancta Dei Sapientia monstrat,*
*Nec potis ingentem per te superare tyrannum,*
*Queri jam certa fides nil quærere, desine nusquam*
*Marte, nisi æternos secum ut te perdat in ignes.*
*Quid renuis, quin, stulte, preces ante omnia divum*
*Fundis in auxilium, & properantia fata ministras*
*In vitam vigil ipse tuam? jurata piorum*
*Vota notat tabulis Michael; cui Regia paret*
*Militia, & victi custodes Dæmonis alæ:*
*At Pater ut mitis respexit lumine vota*
*Incinctam niveis mittit per inane cohortem*
*Vestibus; illa volat Stygiumque immanibus ausis*
*Deturbat prædonem abigens, furit ille suorum*
*Turbidus in cuneos; dentemque in dente fatigat,*
*Necquicquam vacuo delassans aere fauces.*
*Fons hinc se arcana loca per sitientia vitæ*
*Diffundit cælo, quem juxta altaria Christo*
*Spes statuit fontem alma Charis florentibus omni*
*Floribus incingit seclo, Ambrosiosque fluenti*
*Irrorat latices, & nectare flumina odorat.*
*Huc pastor sub nocte greges conducit, & altam*
*Eluit eluviem macularum, aptatque futuræ*
*Indociles operum vitæ, subigitque saluti.*
*At non nullæ dolos & consita pectora fraudum*
*Innumeris furiis sistit crudelis Enyo*

*Hactenus*

*Hactenus; ut ſpeciem rimari ex æthere ductam*
*Sentit amicum hominem ſuperis; ſe turbida juxtà*
*Ingerit; arcanis incingens faſcina velis.*
*Non ſecus ac medio volitarent plurima mundo*
*Corpora ſemideûm, quæ juſſa à numine magno*
*Cogantur ſervire notis; qua Sacra character*
*Puncta trahat; certis Elementa per abdita pollens*
*Litterulis aſtrûm Genios vincire volenteis.*
*Illa magos cepere ingrato carmine manes*
*In vetitum ſcelera ex imis evoluere buſtis.*
*Ludibrium cæcorum hominum, cum pallidus anguis*
*Intereà tacito quatiat præcordia pulſu,*
*Contemerare Deos, & ſpem ſeponere lucro.*
*Vſque adeo non terreno plagia impia ſaltim*
*Condit in affectu, Sophiæ, ſed peſte profanæ*
*Inceſtat menteis, retroque ad Tartara raptat.*
*Quoſdam adeo ſanctæ calcare oracula Vitæ*
*Coram adigit, ſcriptis ut pœnam vendere cartis*
*Non renuant, ſeſeque ut pacto tradere morti.*
*Vera fides: Exempla jubent hæc credere, poſtquam*
*Erubuere viri niſi viſo credere vero.*
*Hic vetereis rerum dominos perculſit atroci*
*Relligione Furor, ut belli eventa Deorum*
*Nomine de buſtis infernorum ore cierent,*
*Vt fata divinâ ſub imagine falleret ægros*
*Fœda ſuperſtitio; qui contemſere vigentem*
*Sæpè malo fecere ſuo: ſic protenus amens*
*Principio à primo Ratio ludibria cæli*
*Devenerata fuit, cum numine nulla carere*
*Poſſet, in arcano quæſivit crimine divos.*
*Labitur huc noſtrum furioſa libido per ævum*
*Quæ ſuperum promiſſa trahi rata, ſine relicto*

*Præsenteis sollerter opes inquirit, & illis*
*Immoritur; perit in lucro respectus honesti,*
*Hunc præter quem pœna coli sancita jubebit.*
*Ille viget certè nullo virtutis amore,*
*Sed pallente metu legum, quæ vindice ferro*
*Crimina facta palam radice evellere norunt.*
*Cum Domini in templis grex eminus omnia cultus*
*Iussa sacri, nulla peccans ambage, facessit,*
*Plurima gens pro more coli putat apta vetustæ*
*Religione loca; at mens longè abscesserit exsul,*
*Nec quæ dia probat Ratio, scit credere vati,*
*Desuper è pluteis Oracula sancta canenti.*
*Quin & lucri alta cupido imis infixa medullis,*
*Regnat, & ingratis se subiicit incrementis.*
*Ipse adeo qui vera videt, qui visa fatetur*
*Vera, Dei præco, miracula, dissidet à se*
*Quamque alios docet, à doctrina moribus horret,*
*Usque adeo scelerata mali contagia viri*
*Scorpius ater agit venis, & pectora regnat.*
*Quid reliquas numerem fraudeis? nemo hospes ab ortu*
*Insilit in vitam primo dare nomina. contrà*
*Quem non mille modis sese vafer hostis obarmet.*
*Cuique mali fomes celsis penetralibus hæret*
*Pectoris, ingeniumque ad tetra inclive moveri*
*Dat natura parens; corrupta parentis amaris*
*Infortunati stimulis, qui Regia jussa*
*Contempsit princeps, labemque in secula misit.*
*Fomitis arcani scintilla, immissa medullis,*
*Moribus à pravis hominum se subiicit intus,*
*Donec in omnem animum funesta incendia ducat.*
*Hæc cum nata videt malesuado Scorpius astu*
*Obiicit illecebras, & per mortalia vitæ*

*Delet*

*Delet agens flabris memorem variabilis ignem,*
*Ut luxu præsente trahat supera ausa deorsum,*
*Edoctus Mortisque vias, caussasque docendæ,*
*Quippe vetus servans odium, quippe intima longo*
*Naturæ noscens usu, quam legibus in se,*
*Complicitam, pater Omnipotens jubet ordine certo*
*Observare vices, & vertere secula fato.*
*Hinc morbos animi atque infesti corporis omnes*
*Novit atrox hostis; non quod penetralibus imis*
*Exscribat menteis hominum, ( quæ Lege recepta est*
*Solius in Domini propriam Sapientia Curam,*
*Spiritibus non prona aliis, nec tacta petendo)*
*Sed cum omnes rerum formas Vafer nudique norit*
*Imminet in furias; quà delectata resîdit*
*Mens hominis, hac dira lues sibi funera mille*
*Involvit prædæ: cupidum sermonis amantem*
*Blandidicis dictis demulcet, & impia celans*
*Arma Necis, paulatim inopem Rationis in igneî*
*Projicit imperium adfectûs; dum dira Cupido*
*Possideat juvenem, & cæcatum in Tartara raptet.*
*Hinc, servire ferox, inflata, Superbia, pompâ*
*Fortunæ, insultatque opibus; floremque juventæ*
*Laxat in adfectus; Equitem temerarius ardor*
*Versat in egregio campo, spatiisque fatigat.*
*Mirantur miseri, fortunatumque celebrant,*
*Proximus exitio, sua qui dispendia nescit.*
*Tempus adest Pœnæ: nam cespite prodita ficto*
*Cum sonituque tubarum & lætifico ululatu*
*Gloria descendit foveam: procul, integra virtus,*
*Ridet & hinc lauru præcingit præpete currum.*
*Quod si alium Nepa terribilis mucrone corusco*
*Magnanimum videt in facinus, bellique potentem,*

*Elicit ex adytis mentem; dum sanguine crudo*
*Insistit potitura lues; mox horrida turbat*
*Otia, præcipitemque in prælia raptat Achilleum.*
*Ille modo his modo se ex aliis rediisse duellis*
*Conscius, insultat Fortunæ, & numina diris*
*Proculcat pedibus: donec male visa ruentem*
*Excepit fovea, & momento exstinxit, hiantem*
*Secula mille procul: longis conterrita factis*
*Agmina respirant; alios fuga mobilis ævi*
*Irretit Sophiæ studiis, Famaque caduca,*
*Quos cum iussa sibi multis exercita seclis*
*Per momenta trahit rerum, Experientia, rectrix,*
*Secedunt sollerte procul Ratione, Deorum*
*A monitis; stolidoque incassum nomine freti*
*Exsanguis Sophiæ, vitâ in pereunte perenneis*
*Consumunt animi dotes; dein fine cruento*
*Trux subit hora necis; quam cum Sapientia cernit*
*Eminus humanis data sensibus, omne priorum*
*Scitorum amittit studium; sed sera jacenteis*
*Iam Metanœa subit; dominatur in ossibus imis*
*Sanguineæ truculenta Nepæ violentia; porrò*
*Magnanimam ridet vim Simplicitatis amator.*
*Tuta malo non ulla venit Virtusve, Potensve*
*Ingentis Doctrina animæ: Furor omnia diræ*
*Pestis agit; non sancta gravi Constantia passu,*
*Non rigor æternus morum, non ulla severi*
*Lex animi, scriptusve dies Examine fixo,*
*Et censita notis Nox somnipotentibus obstat.*
*Non pollens Victorem ensem Patientia molli*
*Excutere abscessu, non Martia turbine Virtus*
*Egregio, domitrix Casuum; non, gnara futuri,*
*Mentitum cantura nefas, Prudentia Verax.*

*Non quæ se paribus sistit Dea lancibus ingens*
*Iusticiæ moderata orbem, ne pallidus error*
*Viva coloratis avertat legibus arma.*
*Non quæ Temperies stabili blandissima cunctis*
*Serietate placet: trux omnia fulmine crudo.*
*Scorpius impellit humana, ipsosque potenteis:*
*Virtutum evolvit numeris; Nex turbida propter*
*Indocili silice, ruit; quàm nulla Potestas,*
*Majestas quam nulla fugit; non Regia circum*
*Innumeris fulgens pellis, Aquilæve coruscâ*
*Florenteis acie: Formosum in Tartara mergit*
*Forma, potentem opibus per opes vaga fata trucidant.*
*Consultum Sophiæ Sapientia propulit orco,*
*Pendentem in Furias Furiæ rapuere Gradivo.*
*Non aliter quam si Genius se in singula velox*
*Facta daret, Regemque operum, Pœnæque magistrum,*
*Stulta superstitio cui se submisit avorum.*
*At Genio non ulla data est, data sola potestas*
*Turgenti in facinus Furiæ, quam Scorpius ater*
*Ostentat cœlo: nos nos tua signa secuti*
*Omnipotens, truculentum hostem spectamus Olympo.*
*Circantem in mortes caudam; cui plurima tabo*
*Terga rigent, setisque horrent immanibus artus.*
*Lunato ille gradu lateri metuendus ab omni*
*Imminet, ante minans cladem; sed dirus in orbem*
*Turbo redit; longeque nocet variabilis arcus.*
*Ipso adeo è cœlo per tot spatia impigra livent*
*Signa mali, fuscantque auras squallore veneni.*
*Te, Pater, inflexus genibus, miserere, precamur.*
*Sunt Genij, stabiles morum, nitidissimus ignis,*
*A supero qui rege vigens, florentibus alis*
*Iussa subit velox, mandataque grandia portat.*

Non

*Non infeliceis larvæ, quæ turpia propter*
*Busta sonant, & triste ferunt mortalibus omen.*
*Qualibus in nebulis, & cæcæ noctis agone*
*Secula vixerunt proavûm; dum squalidus anguis*
*Expulsa Pietate gravi, per anilia mundum*
*Carmina torquebat circum: ut, ratione repulsâ,*
*Cœlestis Sophiæ, rerum simulacra piarum*
*Fœda superstitio vanis illuderet ausis.*
*Unde genus, natum ventri, se pasceret, exlex*
*Pinguibus orantum spoliis, dum lubrica vulgus*
*Orsa sequi promtum mystarum, altaria Divûm*
*Terrenis opibus ficto cumularet honore,*
*Persuasum peccata procul secedere Pœnis.*
*Cum gravis intereà non unâ peste luela*
*Subjiceret culpam culpæ; ferus anguis ab imis*
*Principiis veræ Rationem elideret hærens*
*Virtutis: quæ mille dolis, mille impius hostis*
*Contegeret fucinis, rapiens à simplice verò*
*In varios cultûs animos, & dædala signa.*
*Non hujus Genii Generis cœlestia densant*
*Atria; sed nitido florens fulgore juventus,*
*Aeternum instaurans florem de fonte perenni*
*Iustitiæ; quem dia augens Clementia, magno*
*Circum amplexa sinu, terras dependit in omneis.*
*Purpurei Lucis juvenes, velocia quorum*
*Agmina decurrunt mandata facessere Regis.*
*Hos Pater auspicium felix, tutela suorum,*
*Præfecit turmis; ut cum vitia ater obarmet*
*Hostis; agant contrà florentia signa maniplis*
*Ductoreis castorum hominum: super arbiter ipse*
*Iura locat, tentatque piorum in castra rebelles*
*Admittens aquilas stimulis virtutis amatæ:*

Nec

*Nec tamen haud paribus vireis collibrat ab armis*
*Nec gravius deponit onus, quam ferre caduci*
*Lex queat alta humeri: juxtà candentior ales*
*Succedit, recreans lapsantem, & munia servat.*
*Hæ, quoties inamæna Nepa acri incensa veneno*
*Molitur pestem interitu, stant protenus alæ*
*Flammifero armatæ ferro. Raphaelque, sacerque*
*Magnanimis Michael ausis, Gabrielque supremo*
*Proximus Excubiter solio; nec nomina nosse*
*Cætera opus; sunt mille throni decora incluta summi,*
*Sunt Seraphin Cherubinque, potestateisque potenteis*
*Ad nutum Domini dare jussa expleta per orbem.*
*Hos, socios hominum, quin sæva in fata ministros,*
*Ostentat pater Omnipotens, ne turbidus omnem*
*Scorpius exstinguat spem vitæ immania circans*
*Brachia; mille vibrans morteis; mille horrida contrà*
*Pœnarum simulacra movens: Pulcerrimus augur*
*Divinæ Sophiæ, evulsum penetralis Olympi*
*Regifico insessu deserta in devia raptat,*
*Frendentemque ligat ferratæ mole catenæ*
*Ad rupem infaustam cultu; fremit ore cruento*
*Incassum Furor infelix, nodosque supinâ*
*Indocileis cervice rotat; nec sidera vanis*
*Cessat atrox terrere minis: circum arma, sagittæ,*
*Coritique jacent Stygij, plagia omnia circum,*
*Terribileis litui sonitu, furiale canoro*
*...es crepitu, thyasisque imbellia cingula ruptis.*
*...t blandæ Veneris vecors Crotalistria, Seiren*
*...esidiæ, stimulique irarum, & fervidus ignis*
*...gratæ bilis: Nec non Furor ater habendi*
*... cumulis sedet aggestis; nec respicit antè*
*...rta, sed ignoto incumbit trux fine parandis.*

*Ante alias pesteis vario se dia Voluptas*
*Versat agone nocens; cui colla tumentia dulci*
*Eludit viru Raphael; & vertile tergum*
*Mille premit frangens flagris: circum impia turba*
*Cum turpi stridore, & fœdifico ululatu,*
*Evomit ingestasque dapeis & pocula longâ*
*In scelus amentis serie: quis nomina magnâ*
*Ambitione sequi velit, & dare condita Famæ?*
*His famulus rerum late submittit habenas*
*Seclorum fuga; dum suavi temeraria inescat*
*Seditione Venus menteis, sensusque trudicat?*
*Nec soli data culpa Nepæ est. Sibi quisque necando*
*Arma locat. Furit intus agens inamabile ferrum*
*Adfectu incassum secum pugnante, tumultus.*
*In scelus est victor sibi quisque; ad casta fatiscat*
*Spiritus, atque ægri suspirant protenus artus*
*Scilicet ingrato quia fine absentis in æstu*
*Præsentis vitæ morimur. Spes nescia corda*
*Fidere cœlesti Sophiæ deposta relinquit.*
*Hæret in absconsis species turpissima venis*
*Quæ periturarum flagrat dulcedine rerum*
*Indociles reditus annos satiare fruendo,*
*Intima nam nostri corrupta, valentia, cordis,*
*Perpetuis, alio sed tempore deinde futuris,*
*Non credit sua dona bonis: quin fluxa tenebris*
*Membra vovet, lucemque procul sprevisse laborat.*
*Hanc pater hanc labem miseris mortalibus index*
*Venturæ immisit Pœnæ; cum nobile primum*
*Mandatum excessit rumpens; Nepa fulmine crudo*
*Delicijs pascit mollem genialibus ignem.*
*At contrà jurata Dei constantia, textu*
*Perpete, ab exortu mundi sua dicta facessens*

*Tempus*

*Tempus in hoc nostrum; poterat divertere vanis*
*Ingeniosa vijs deliria: Plurimus adstat*
*Præco Dei; Rex ipse ingens in nablia vates*
*Cui promissa poli successio; speque fideque*
*Abramidas veteres per secla caduca secutus*
*Evasit curis terrestria; pone Prophetæ*
*Innumeri veram testantur voce Salutem*
*Vatidicâ: Quæcunque viri scivere priores*
*Exposuere dein, claraque in luce dedere*
*Cuncta palam; qui sancta novi sub fœderis orsa*
*A simulacrorum cultu & Stygialibus aris*
*Ad Dominum jussere pios uno ore redire.*
*Hæc adeo tot firma modis, usque probata,*
*Ne posset peccare ullâ ratione catena:*
*Filius omnipotens Patris omnipotentis, in ipsô*
*Omnipotente potens, Lux ipsa & lucis imago*
*Viva, Deo Deus æternum à genitore creatus.*
*Ambiguamqe fidem delevit temporis alti*
*Restituitque novans veterum mysteria vatum.*
*Adjurans seque ipsum adeo in sua dicta reponens.*
*Sanguine nos IESV lotos, à sanguine IESV*
*Discere contemtum mundi debere ruentis*
*n facinus, quia perpetuæ nos anchora Lucis*
*ripiat tenebris; sed in his procul omnia raptim*
*d manes transire suos, quæ temporis augmen*
*Ion videant, sed delicijs morientur in ægris.*
*egula quæ Veri licet omnibus ore superbo*
*icletur vulgo; quis pectore credit in ipso*
*lamanti Domino? si pectore credis, ab usu*
*egener abnormi cur tantum errore recedis?*
*on data sunt hæc verba tibi, ut per fasque nefasque*
*curus cœli vitijs baccheris amatis:*

Sed

*Sed facias ut jussa Dei, credasque jubenti.*
*Hæc quoties rauco canit irrequietus ab ore*
*In templis tubicen; cuncti sua crimina norunt,*
*Cuncti adeoque fatentur; at horsum abscedere nolunt.*
*Hæc animi pesti penitus penetralibus hæret.*
*Hanc uti tu exstirpes, contemnere cuncta necesse est*
*Sollicitans curis quæ torvum horrentibus ævum.*
*Nil agit ossecuque caret Sapientia libris*
*Hausta sacris; Ratio si vitæ ingloria vincit*
*Contemtorem animum. Quid enim, si cætera totus*
*Divitijs inhias, & amori incumbis habendi,*
*Quid juvat unius spacio bene vivere puncti?*
*Tota decet Pietas teneat tibi pectora, quorum*
*Intersit censu mortalia nosse pericla*
*Egregio. Si victa Venus, si Retia Amoris,*
*Et faculæ, & vacuos pharetræ jacuere sagittis,*
*Si Bacchi Furiæ, si crudi Gloria Martis,*
*Versam aciem movere retro non rite triumphum*
*Ambibis, nisi Delicijs cum imbellibus iras*
*Sanguinei superans animi, quoque vincula rumpas*
*Quæ nectit, nexumque tenet quibus impia habendi*
*Ambitio, tortis volvens jus fasque nefasque*
*In barathrum laqueis; Procul altè fixa recedit*
*Quæ solidam importat laudem comprensa, corona*
*Huc albis via paret equis: maculosa fugabit*
*Impietas ipso victorem è limine, qui non*
*Candida sinceræ portat præcordia Laudi.*
*Non Capitolinis hæc postibus apta, paratur*
*Splendentis ferri rabie, aut audacibus armis.*
*Simplicitas hæc dona refert. Si Gloria frondem*
*Humanorum operum vi vel ratione teneret,*
*Pauperies despreta procul pedibusque repulsa*

*Lauri-*

*Lauriferos numquam speraret tangere currus.*
*At cujus tibi parta salus virtute parata est*
*Non ille horrifera quatiens tentoria pompâ*
*Innumeros phaleris equites ornaverat auro,*
*Attonitos rumpens animos: sed simplice cultu*
*Mitifici tergum victor scandebat aselli.*
*Hinc spes certa manet, quicunque animo audet aperto*
*Credere Victori, vitamque avertere luxu,*
*Desidiâ, curisque & amarâ peste furorum,*
*Non egeat vel opum, vel ineptæ fulgure pompæ*
*Pergat, & excisis vitijs Victoria præpes*
*Respiciet conantem, & amatâ in sede reponet.*
*Ringere nunc exosa Deos, & Tartara vero*
*Corpore cæca habitans, Nepa; vix tua restat imago*
*Turpificam saniem, & liventia brachia tabo*
*Ostentans speculâ ex altâ. Tua plurima pestis*
*Instat, & æternis parat ægra exordia, pœnis.*
*Quod si signa palam lethum testantia dictis*
*Vis perhibere fidem; signum tibi nobile fulget,*
*Vsque ad Hyperboreis complexa Trionibus axem*
*In medios Solis cursus, à carcere Eoo*
*Irradiens cœlum occidui ad confinia ponti,*
*Exosum vestris nomen studijsque dolisque,*
*CRVX Domini: late quam astrorum exercitus omnis*
*Poplitibus velut inflexis grave numen adorat.*
*Ipse triumphali caput altum ornatus honore*
*Desuper effulget, Victor, Lethique, Tuique*
*Virgine qui castâ mortaleis induit artus.*
*Ille caput; caput ille tuum & turgentia viru*
*Colla premit, diramque imposto calce fatigat*
*Pro luviem. Iuxtà æternæ Bona Gratia vitæ*
*Inducit Proceres, fuso qui sanguine Christi*

*Asseruere decus contrà tua sæva reperta,*
*Vimque tyrannorum & Portas flammantis Averni.*
*Carmine nos facili tua dira emblemata vulgo*
*Monstramus; Pater ipse bonum successibus omen*
*Læva tonans misit mihi fulmina: turbidus antro*
*Irrepit serpens, fugit hanc Nepa territa lucem.*
*At vos qui teneri non dura Poemata vatis*
*Exosum experti fallacia præmia mundi,*
*Ingenuo legitis studioq; primæva juventus;*
*Scite, quod infesti fœda ipse pericula monstri*
*Non facili è carta aut libris enarret apertis.*
*Seduxit puerum procul à Ratione viandi*
*Legitima truculentus Amor, nec amœna Voluptas.*
*Omne quod ardenti suffusum pectore priscis*
*Monstrarat Sophiæ numeris, animoque dicarat,*
*Expulit infreni vitiata licentia luxu,*
*Ferreus ante tubam, commisso tiro duello*
*Abjecit clypeum & verso sua præmia tergo*
*Destituit: fugientem, & jam sua damna timentem*
*Exuerunt castris vitia inconsulta fruendi*
*Delicijs intra mores, & condita Iura.*
*Vnde Iuventutis primò cum libera fræno*
*Irrupit rabies in aperti cærula campi,*
*Vela dedit ventis & tempestate repulsa est.*
*Ah miser. & video quam tetra exempla retrorsum*
*Abducant mentem: quam desperatio frangat!*
*Facta velim mutata; sed irreparabilis ordo est.*
*Et nil Iustitiam præter Pœnæque tenorem*
*Ante subit; monuisse quidem pia facta decorum est,*
*Sed Sacer abnormi venit in discrimina pulsu*
*Ensis, & excisis sequitur vitalia venis.*
*Gratia ni contra meritumque parabile Christi*

*Mon-*

*Monstret adorandâ radium Pietate potentem*
*Lucis: in æternam clausissem lumina noctem.*
*O Pueri queis fervor adhuc calido hepate regnat*
*Ignarus fraudum, Iuvenem me audite meorum*
*Deflentem errorum jam non mutabile pondus.*
*Dumque virent genua & simplex mens dicitur alta*
*Præceptis Sophiæ; ne dirum temnite sidus*
*Forficibus patulis immania fata minatum.*
*Semper in hoc oculos suffixo corde tenete,*
*Vnde adsit memori Pœna insuperabilis œstro,*
*Et vitij infandi primum quoque pellat amorem.*
*Turpibus in Veneris & Bacchi turpibus actis*
*Ne florem ætatis, ne sacrum insumite tempus,*
*Vt cum cana caput exsanguì vestiet inter*
*Spemque metumque fugæ pallore, ignobilis ætas,*
*Fæx demum incedat Domino sacranda colendo.*
*Ille etiam lactens, & adhuc sine matre puelli*
*Os mutum, in laudes grato sibi poscit honore.*
*Hæc solum sapiens astri sit cura videndi*
*Hæc sola est Sophie, cui cœli templa ministrant.*
*Non arcana opus est scrutari fata Nepai*
*Horriferum, aut varis sidus deducere Chelis,*
*Vt quæ cuique alto stent ordine fixa, resignes.*
*Hic opus hic labor est, in te tibi pessima pestis.*
*Blanditum vitij quacunque ope tolle furorem*
*Teque atro expurga quamprimum ante omnia viru,*
*Quod pater infelix ipsa in penetralia cordis*
*Inseuit misero, & genus omne uno agmine versat.*
*Hinc oculis claris, acieque ingentia Mundi*
*Corpora prælustri aspicies: Cerne omnia cœlo*
*Sidera perpetuos in se volventia nisus,*
*Cerne Choreärum cœlestum insignia Tempe,*

 *Pur-*

*Purpureos convexi oculos, florentia flammis*
*Agmina divinis, non hac sua pabula servant*
*Vt fatuis mandat sapientia prisca liturus,*
*Iussa sui Domini, Christique facessere jußa,*
*Et Sanctum immenso, qui spiritus imperat Orbi,*
*Diligere obsequiis, hac Nutrimenta beatis*
*Ignibus æthereas nullo non tempore Vitas*
*Sufficiunt: Mirare decus, mirare volucres*
*Legibus adscriptis orbeis, mirare volantem*
*Cursu indefesso sua circum exordia finem.*
*Tu tamen ille breves compacti corporis artus*
*Mente ligans docili, magni spectator Olympi*
*Nobilior cunctis longe visisque videndisque*
*Aeterno cognatus inexsuperabile Regi*
*Depositum servas Animo; tibi Maxima soli*
*Majestas descendit Homo! Iam pallida contra*
*Brachia, turpe retro carpens iter, extrahit orbe*
*Scorpius infesto: trux tela Sagittiger ultro*
*Projecit fugiens, illi pulcerrima Virgo*
*Virgo ignara maris peperit sine conjuge prægnans*
*Vltorem egregium, tibi Virgo puerpera suprà*
*Naturæ Leges & fixa in tempore signa,*
*Aeternam peperit, Christo cum fratre, Salutem,*
*Sperne moras, Regemque tuum, tua membra gerentem*
*Speque fideque ferox amplectere, quisquis abysso*
*Mersus adhuc vitiorum ignobile sideris atri*
*Servitium pateris. Nil non tua culpa meretur*
*Nil in se contra non suscipit optimus auctor.*
*Vin' Claram faciem, simulacraque certa Salutis,*
*Conspicere æthereæ? dabit immaculabilis agnus*
*Quem jam celsa Nepæ gradientem in Regna fugatæ*
*Conspicies, cum clara tuæ primordia sensu*

Scru-

*Scrutatus Fidei, sacri in Baptismate fontis*
*Invenies, non his fidendum in rebus amando,*
*Quas rapit incerto Mundi fuga lubrica passu.*
*Hac iter esse Necis: Vitam in sublimia celsos*
*Erigere obtutus, & spe super astra venire.*
*Visne viam pariter? Cerne altorum obvia avorum*
*Trans Nebulas puro, vestigia, lucida cœlo?*
*Cerne figuratam mitis super illicet agni*
*Terga Crucem: cerne ista Patres monumenta secutos*
*Quisque suum meritis humeris attollere pondus.*
*Tu quoque, nec mora sit, qua nil non aspera tetrum*
*Regna caducarum imponunt tibi perfida rerum,*
*Sume volens, ultroque oneri succedere gaude.*
*Tempus erit, nec jam longis ambagibus hæret,*
*Quæque tibi hoc momenta ferunt, quæque ingerit hora,*
*Cum peritura cohors ipso cum victa tyranno*
*Ipsis cum furijs, ipsa cum peste nocendi,*
*Aeternas procul in pœnas, atque atra recedet*
*Tormina; tu Christi vestitus sanguine puro*
*Iamque novus, jamque emersus crudelia Noctis*
*Imperia horrifera, nusquam temerabilis exin*
*Secula cum Domino Lucis nitiditissima vives.*
*Interibi patere, & quæcunque in:mania fictis*
*Torvus imaginibus Pœnarum exempla magister*
*Ingeret, hoc uno solare instantia semper*
*Semper inexhaustâ te urgentia mole dolorum,*
*Hoc uno solare, uno vince omnia versu;*
*Virtutum Furias Patientia summa triumphat.*

P 5 C. BAR-

C. BARTHI

# ZODIACI VITÆ CHRISTIANÆ.

## LIBER IX.

### QVI ET SAGITTARIVS

QVI procul è ceslâ diribens stata tempora turri
Dat sonitum circantem horas, & puncta minutim
Scribentem ad numeros, Vates; cui ferrea carmen
Lingua sacrum subicit, cum Sol emensus Olympo
Bis senas repetit sollemni tramite metas
Vnde dehinc totum lex certa & gnara reverti
Frugibus alternis annum in primordia volvit.
Ille idem vates humana negocia fixis
Ad libram appendens punctis, variabile textum
Obscuræ illustrans vitæ, ceu Funera fletu
Lassatis oculis, functum in penetralia magnæ
Corpus agit matris, cathedrâ declamat ab altâ
Quam sua quemque ævi incertum Mors se vocet, inter
Vota metumque sui, nec sit rudis æthere denso
Forma viri, qui pernici trux spicula saltu
Ingerat e speculâ; cui lethifer arcus ob aureis
Exosum portet sonitum, nec sedula restet
Cura malo, quin justa videns retinacula rumpat
Tempora: eum Omnipotens terrorem in secula fixit,
Cum pater a vetitâ decerpens arbore malum

*Cum malo infando Mortem deduxit in Orbem:*
*Nulla super medicina; nihil juvat arma Satelles*
*Porticibus crispans longus; per peila per enses*
*Per cuneos, densoque obstantia marmora muro*
*Aggeribusque Vrbeis fixas, Aurumque, gravesque*
*Mollis Avariciæ gazas, per nobile blanda*
*Imperium Veneris, Thalamosque, & futile textum*
*Plumatis quod picta vehunt Babylonica sellis,*
*Trux aditum rumpit Lachesis; Cum debilis undam*
*Efflavit vitro tubicen, qui conscia corda*
*Intus edit stimulis, finemque instare figurat,*
*Nulla mora in terram è terrâ rapit Hora creatos.*
*Ille adeo sonitus quem nunc cava turris ab alto*
*Æra crepant apice, ut functum in penetralia tumba*
*Deponit corpus, sic nos simul admonet, omneis,*
*Pone secuturos; quotcunque exordia vitæ*
*Sumsimus à cunis, tot mobilis urna sub alti*
*Sevocat hospitium tumuli, cui flebilis ingens*
*Cœptum Animi æterni sine teste, oblivio, mandat.*
*Ille quidem Domini, cujus de divite vitam*
*Thesauro ingreditur, repetit collegia, velox*
*Ire per obstanteis nebulas, aurasque profundas.*
*At socium quondam terrenâ in labe, recedit*
*In terram Corpus; licet à putredine succus*
*Nobilibus servet, Pietas bona, membra parentum,*
*Ipsa tamen mediis Lex hæc dominatur in herbis,*
*Herbarum succis quod terra è corpore fiat.*
*Nam nisi humo mutant condita cadavera, contrà*
*Cur nequeunt carnis censeri nomine prisco?*
*Est etenim Lex certa homini; nil corporis ægri*
*Servat Arabs, aut Rex anteacti Ægyptius, ævi*
*Ignaram præter speciem: nempe ossa, subegit*

*Nempe omneis nervos caries pretiosa, fuitque*
*Quondam funus homo; nunc ars cum fallere terra*
*Ius nequeat, fuscâ ludit leve balsamus umbrâ,*
*Vt saniem exsugens, pro massa mutet odorem,*
*Sustineatque diu mutanda cadavera tamdem.*
*Namque ille immenso librabilis impete cursus,*
*Seque cadendo, Polus, retinens, æquataque sursum*
*Atque deorsum uno complectens omnia puncto,*
*Effigiem immanem atque immania tela moventem*
*In gremio tim... ipse suo; tamdem hora tot annos*
*Pendentem in sese solvet mundum unica; nec jam*
*Finis agit procul ingentem in facta omnia mortem.*
*Sanctorum spem fixa Patrum mysteria servant*
*Temporis extremi in tabulâ: nil denique restat,*
*Complevit senior spacia altè appensa, diuque*
*Suspirat, Phaeton, decursâ lampade solvi.*
*At soror infelix varianti lumine monstrat*
*Nolle moras, vix posse pati; circum undique matrem*
*Assiliunt Choreis, lati specularia campi,*
*Siderei stellarum oculi, poscuntque quietem.*
*Scilicet hæc magni prædixit cura Parentis*
*Iussit & immemores per scripta exire Nepoteis.*
*Ille suis numquam delinquens cursibus Ordo*
*Secula tot summi Regis mandata facessens*
*Nunc demum extremis peccans delirat in annis.*
*Vt coram vultu pallenti & lumine fusco*
*Testetur recinens, invito pectore nostris*
*Criminibus præbere diem: sed turbidus ævi*
*Mortalis torrens, atque insita pestis amaro*
*Secessu primi raptat sua secla parentis.*
*Quisque mali gnarus tamen inter vota metumque*
*Sublimis titubat; mox insidiosa Voluptas*

*Spe lucri facinus cæcâve libidine patrat.*
*Conscia mens intus sceleri concedit Amorem*
*Consensuque volens crimen concludere pergit.*
*Sic nec turpe nefas, quod membra hærentia vexat,*
*Terrestri illuvie, cavet ipsa, aut vincere certat.*
*Ergo eadem in pœnam currit quoque, cumque sit exsors*
*Interitûs, unà corpus quoque nocte perenni*
*Mersat, & æternis dat sontica membra luelis.*
*Non aliter quam victa luto quondam ipsa tenaci*
*Corporis humani cessit mortalibus ausis,*
*Immemor à superis oriundæ lucis; & istam*
*Aequa dat in populos, divina potentia, lancem.*
*Vt norint quæ pars homini dominetur, & inter*
*Terrestreis operas merito subsidere pergat.*
*Scilicet immani victoria crimine constet*
*Deterius penes induvium, sanctissima contrà*
*Servitio pars victa gemat; generosior ales*
*Portat ab obscænis florentia corpora terris*
*In regna alta poli; proles sata deside limo*
*Obruit illecebris divina oracula fœdis;*
*Sed pars neutra vacat culpâ; Pœnam omnis ab omni*
*Participat scelere, & consensu opus exigit auctrix.*
*Quippe ubi peccandi laxata licentia fervit*
*Ante animi se consiliis prægnantibus intus*
*Obiiciunt sibimet; quod si Fors Casus & Error*
*Pectoris ignaro bacchantur in impia Rege.*
*Non jam culpa venit; meritum pia Gratia triste*
*Imputat humani nævis imbellibus ævi.*
*Sic tamen ut precibus nec cognita crimina purget;*
*Namque ita regifico recinunt Psalteria cantu:*
*Quæ sunt nota mihi, quæ sunt nec nota, IEHOVA*
*Confiteor, da pura pater penetralia mentis*

*His quoque criminibus, quæ, cum me improvidus error*
*Conantem contrà, vel vis inimica fefellit,*
*Admisi; tu cuncta notas, tibi nam, Pater, uni*
*Peccatum est quodcunque mihi. Sic libera cælo*
*It venia in casum, mutatque injuria rectis.*
*Tu quæcunque opere incipias vel mente revolvas*
*Consiliove agites, non umquam lumine tristi*
*Teliferum amittas juvenem; cui setiger arcus*
*Lethaleis ducit nervos, armatque sagittas*
*Exitio: quicquid Fortuna, Venusve rebelles*
*Cælesti portent studio, tibi semper ob aureis*
*Ille sonet sonitus, quo terrificum æthera quondam*
*Justitiæ acrem inflare tubam vindicta jubebit.*
*Vt quoties videas luteum & resolubile corpus*
*Finem habeas pro principio; sic denique finis*
*Principium vitæ dabit intemerabilis ævo.*
*Nil credas Venerive, Lucrove, aut sortis Amori,*
*Aut studio infausto semper crescentis Honoris,*
*Quod nequeas contrà momento cernere in illo*
*Quo mens corporeo secedere carcere jussa*
*Exibit mortale chaos, servandaque terræ*
*Viscera deponet, sursum ipsa elata per auras*
*Concedet latebris; in queis vel præmia sanctæ*
*Spectabit vitæ, Pœnasve, ut vixerit intra*
*Corporeum stabulum; justo sic sedula numquam*
*Tramite decedet pede Regula, nisa decoro.*
*Sic facias, quodcunque ordo variabilis infert*
*Humani erroris, ne sit metuenda vel instans*
*Mors hodie semper; Quin cui sua, conscia recti,*
*Corda vacant stimulis vitiorum, optare remotam*
*Mortem ideo poterit, non quod secedere contrà*
*Imperium Domini festinet munere jusso,*

Sed

*Sed quia se penitis sentit spirare medullis*
*Spem renovati hominis, spem prædem extra omnia vota*
*Aeternæ, nulla temerandam nocte, Salutis.*
*Sic Pater æthereis plenus cum afflatibus inter*
*Præsentis tenebras vitæ, Lucemque futuræ*
*Eripitur turbis mortalibus, ore professo*
*Lætitiam egregiam, Paulus ( suavissima cujus*
*Vox vocat in vitam genteis ) sic intonat Heros.*
*Vita mihi* CHRISTVS, *lucrum Mors, mortua* CHRISTO:
*Ianua nempe ævi melioris, imagine paullum*
*Tristifica exacuens stimulos, ne Gloria palmæ*
*Vilescat levitate suæ; Tormenta, doloreis,*
*Ignisque arvinæque undæque, uncique, voluptas*
*Suavior una venit, quoties mens Enthea per quod*
*Quid petat expendit recolens, tum funera censet*
*Pro thalamo egregio, pro sertis maxima prunas*
*Turba virûm calcat, qui Christi altaria puris*
*Adstanteis manibus, vitam fudêre Saluti.*
*Martyres egregii, qui nunc primaria circum*
*Militia incedunt agnum, immaculabile servans*
*Argumentum operum sibi quisq;, ut plurima passus*
*Exiit in vitam; perpes stat Gloria latè*
*Expandens alas, recinitque acta omnia cælo.*
*Huc qui acie elata contemscrit improba vitæ*
*Præsentis studia, & Mortem calcere valebit:*
*Illa quidem variæ non grata solutio molis*
*Compactum disjunget opus; vestigia nulla*
*Præteritæ linquens, visendæ nepotibus, aulæ,*
*In qua regna animæ Mens fixerat, ardua toti*
*Imperia injungens texto; Tamen ipsa necando*
*Nex perit in nobis; quia, Gloria viva suorum,*
*Primitiæ, Christus, functorum, una omnia rupit.*

*Funera lege novâ; stat fixum in secla Tropæum*
*Devictæ mortis, florentia signa per auras*
*Crux statuit palmæ: Caput è tumulo exiit almum*
*Hoc dubio procul in vitam sua membra sequentur.*
*Hæc, ubi doctrinæ humanæ vis tota caducis*
*Delicuit titulis, Sapientia sola superstes*
*Monstrat ad astra viam: Quid enim sollertia cæli*
*Et docilis radii male certa peritia possit?*
*Cum scrutator edax lucis comprenderit omnes*
*Signorum cursus, arcana umbracula Solis,*
*Liventemque notis Lunam terrestribus, in se*
*Descendens tamdem, cum dia inventa professus*
*Scripta dare in vulgus numeris illustribus, inter*
*Fata hominum reliquorum, ingrata in puncta recurrit,*
*Quæ cum omni poscunt auctorem in funera technâ.*
*Sic ubi præcipiti deduxit acumine sursum*
*Fata virûm, duxitque aliâ ratione deorsum,*
*In mediâ perit ipse acie, dum tela maniplis*
*Dividit, improvisa ducem procul abstulit hasta.*
*Nec numero è tanto casum miratur amici*
*Alter homo; quia quisque sibi scit talia nato*
*Lege instare Deûm non ullâ, fata, repulsâ.*
*Quod si adeo quisquam cupido deceptus Amore*
*Vitæ infelicis bruto se luserit astu*
*Ut quasi pro mirâ mortem lacrimetur ob illam*
*Quæ stantem subitò pepulit, dum prodigus auctor*
*Fletibus infestus mentem turbabit, in urnam*
*It comes infelix miseri, stat tertius hæres*
*Ignarus quæ fine malum pote sistere forfex.*
*Dumque timet sibimet, cecidit quoque: pallida longum*
*Morta fremit, jungitque ad millia millia centum.*
*Nos, queis gnara Dei doctrina illustribus altè*

*Assulsit*

*Affulsit radiis, non hanc pro fine timemus,*
*Mortem importunam, queis nota potentia regis*
*Subjecit famulam; sed mente incumbimus omni*
*Omni uni adfectu studio, ne ignara perire*
*Mens pereat vitiis, corpusque ad fœda sequatur.*
*Hoc opus hic labor est: sic Christi sanguine poscunt*
*Purgatos animos parta immortalia regna.*
*Sic sociam æternam Dominæ vice mobile terræ*
*Instar adorantis germen colit: Invia lethes*
*Jam via facta prius remeabilis; integra surgent*
*Membra solo, non jam fatuæ larvalia Mortis*
*Vulta timore malo trans casta & sancta vereri*
*Jussa, sed egregio redimitum lumine corpus*
*Aptum erit ingenium mentis sequi in ardua passu*
*Comparili: Tu junge fidem, tu crede Poetæ*
*Illustri Regum stirpi, qui tempore primi*
*Legum orbi affulsit Doctoris, ab æthere missi*
*Isacidum dare jura gregi: cui turbidus Heros*
*Fortunâ adversâ & victoris fulmine diri,*
*Procubuisse domum totam cum prole, videret,*
*Divitias spoliis cessisse hostilibus; omnem*
*Mutatam in pejus vitam, quin corpore centum*
*Vlceribus putri, vix ossibus æger anhelis*
*Hæreret cineri insidens, qui Regia jussu*
*Imperia effecisse solens, diademate eodem*
*Cincturum natos sperarat, & arbiter idem*
*Hactenus eximiæ pietatis; in indole cujus*
*Servierat strictè Domino, nil sorte remittit*
*Extremâ virtutem, immo insuperabilis inter*
*Solantum voces & mollia carmina, ridens,*
*Spem retinet fixam, ruit in declivia conjux,*
*Ipse sibi constat, mediâque in peste dolorum*

Magna-

*Magnanimos servat mores, quin utile seclis*
*Omnibus exscripsit carmen: Tamen, ussit, in illâ*
*Spe mecum confido Deo: me, viscera postquam*
*Terrea terrenâ consumta in fece latebunt,*
*Me me, inquam, meus excitet Salvator ab Orco,*
*Hacque cute inducet eadem hæc mea membra; dabitque*
*His oculis, his ille oculis, hoc lumine fontem*
*Ipsum almum spectare boni: Fons ille boni ipse est,*
*Ipse meus Salvator, & hæc ego præmia soli*
*Soli quippe mihi fruar, & sine fine tuebor.*

*Hæc dat jussa fides, his credere meta Saluti est,*
*Præterea sponsore ipso licet omnia Christo*
*Confirmare viris; qui, ne quid condita celo*
*Gratia servaret, dedit omnia, se quoque, nobis.*
*Se dedit in mortem, mortem crucis: Omnia nobis*
*Ergo dedit, qui nec sibimet, moriendo, pepercit.*
*Hic adeo vivorum hominum Deus esse fatetur,*
*Sunt vivi quicunque fidem tennere sepulcro.*
*Nunc blando recubant somno, & sua tempora servant.*
*Non secus ac granum gravidâ quod tollit aristâ*
*Agricola, & sulco patrii commendat agelli.*
*Intus alit sese, meditataque fœnora secum*
*Concoquit, ut triplici penset mox fruge laborem.*
*Intereà putri carie cum massa soluta est*
*Fœcundo in lucem succo commissa, canalem*
*Implet, & erecto redit in granaria culmo.*
*Ipsa sub inductâ dum, frux, latet obruta terrâ*
*Mortua tabificâ longum putredine torpet.*
*At mors illa nova fecundat viscera prole,*
*Decuplicem educens uno de germine florem,*
*Sic genus humanum postquam sua tempora somno*
*Fructificâ indulsit sub humo, cælestia jussa*

Audiet

*Audiet ex alto,renovataque corpora reddet*
*Millemodis vitæ; Pars ut pro deside solvat*
*Secessu Pœnas, pars ut pro præpete normâ*
*Officii emensi Dominum in Prætoria regni*
*Regni immortalis vitâ æternante, sequatur.*
*His ita principiis atque hoc est fine notata*
*Mors facilis,non quæ coram manifesta videtur,*
*Scilicet imperio cujus mortale recedit*
*Corpus ab ætherea ponendum mente,cuique*
*Par ditio in genus omne animantium tradita cœlo est.*
*Sed quæ, postquam alta putredine victor in auras*
*Antiqua eluvie egrediens,homo,surget,in omne*
*Hunc ævum manet, & numquam vincenda triumfat.*
*Quod si me penita quid mente expingere dicam*
*Centaurum telis cælestem,dicere cogas,*
*Hanc tibi mortem alto minitari ex æthere cladem*
*Semiferæ affirmem Formæ; tu, si qua retrorsum*
*Movisti à vero vestigia calle viandi,*
*I, trepido emendeis animo repete illicet ausus,*
*Et precibus veniam supplex pia Numina posce:*
*Illa dabunt: procul aligeras fera forma sagittas*
*Abscondet pharetra,coritum ignobilis arcus*
*Pendenti repetet nervo. Sic Gratia jussit*
*Diu coli superos; non quali percitus œstro*
*Grex Sophiæ humanæ,cum vitæ exordia finem*
*Certa sibi spondere videt; lacrymabile regnum*
*Mortis, in ingrata fugisse libidine pugnat.*
*Huic scitum infandum dictavit Regia quondam*
*Assyrii Ganymedis, & hic fera secta quievit.*
*Hoc habui,quod venter edax,quod mollis Iacchi*
*Indulsit furor, & sata numine utroque Cythera.*
*Cætera ponè jacent multa & præclara relicta.*

*Scilicet*

*Scilicet hic dolor est non omnia posse capace*
*Dilapidare gula, sed quid supereſſe Nepoti,*
*Qui patrios ruit in titulos; ſic fundere liba*
*Mortales Genio memori brevis imperat ævi*
*Quintipor egregius, quem molli ſive puellâ*
*Seu puero ſub flavicomo Venus ureret, ultrò*
*Contemtis animi pallebat moribus extra*
*Socraticum, ſalsâ bacchantem in nare, cachinnum,*
*Vt molleis numeros Eratûs lyra frangeret altæ.*
*Aſt non ſalvificus illuc oracula dictis*
*Ire putes: cum forte duas offenderis ædes,*
*In quarum hac pullo luctu lacrymabile cantet*
*Triſtis epos populus; domus altera nablia feſta*
*Tota ſonet pompa, nec grandia tympana ceſſent*
*Ad Berecynthiacum thyaſos animare furorem.*
*Et tubicen gravis ære cavo fera claßica frangat*
*At Bacchi numeros & Tejæ dicta choreæ.*
*Tu ſi cauta juvat prænoſſe pericula falli*
*Luctificum ingreditor limen: gens obruta planctu*
*Illa domat læto pugnantia gaudia corde.*
*Intus alens teſtem venturæ lucis; at exlex*
*Turba Gigantæo traducens tempora ritu*
*Inter opima gulæ frendentis fercula, noctem*
*Perpetuam timet, & pœnis ſe abſentibus infert.*
*Quippe mali natura patet; quod quisque meretur*
*Hoc metuit, ſemel admiſſum ſtat pectore ſemper*
*Horriſonum melos incendens; ut ficta reſidat*
*Lætitia in facinus, nec pura mente quieſcat.*
*Heic quoque verſa retrò veſtigia ducere verum eſt:*
*Sancta patet vena, & nil non medicabile morbi eſt.*
*Tu quoties læto bacchantem fulgure ſortis*
*Inter opes fluxas, ſapiens tibi, cernis amicum,*

*Admoneas*

*Admoneas alto pendentis ab æthere teli:*
*Quippe ubi blanda sonant testudine prælia cultâ*
*Illa domus non tam Veneris, quam flebile mortis*
*Hospitium est, tu certa procul procul atria lethi*
*Quantumcunque potest fugito properantibus alis.*
*Forma nocet vel visa mali, qui facta cavere*
*Dira volet, vetitoque nefas non ducere nisu,*
*Argutas facies atque illicita dona veneno*
*Blandisonæ caveat citaræ, puerosque ferocem*
*Ad ciatos lituum frangenteis voce supinâ.*
*Vt levis in stipulas flammæ mica insilit, ingens*
*Principio à tenui damnum sparsura per arceis*
*Munitas lapide, & posteis duro ære rigenteis:*
*Sic brevis & vix dum sentita inscendere sensus*
*Exiguo, scintilla gradu, cum puncta voluptas*
*Prima rapit, parvo de fomite prodita sursum*
*Evolat, atque altis animum cum moribus aufert.*
*Nec fixisse gravi præcepta horrentia cultu*
*Stoicida ratione juvat; dum disputat auctor*
*Fine boni quo summa homini censenda residat:*
*Parte aliâ tacitis ambagibus improba pestis*
*Visceribus stetit in mediis, atque abstulit ingens*
*Argumentorum Chaos in declivia torrens.*
*Huc natura volat, quid contra opponere molem*
*Circuitus juvat in longos, & ducere vallos,*
*Intus edat clades cum fixo pectora morbo.*
*Vna via est non nosse malum, licet impius ardor*
*Clausa gravi tentet munimina frangere telo*
*Interius, tu tolle usum quem mollis ocelli*
*Suppeditat lepor, & gustato nectare Cypris*
*Vel, Regina, semel; vacuis incisa cavernis*
*Frustra adeo bellum pestis; frustra arma movebit*

*Versicolor cum pompa extrà mutarit in atros*
*Dulcisonum planctu modos, insuperabile blando*
*Sirenum cantu, clausis quàs auribus exit*
*Dulichiæ Rector per turbida marmora puppis.*
*Non tamen atratum propter læta omnia luctum*
*Ceu pestem vitare velis : sua servat Honestas*
*Interea medium, vitiis dum fervida pugnat*
*In vitam virtus ; non scilicet, optimus auctor*
*Cælestis Sophiæ, majeris opus ingerit ultrà*
*Quam tolerare queant : si turpis adauxerit hostis*
*Impositam molem, & duplicaverit ardua duris.*
*Sic Pater in natos affecta mente rebelles*
*Indulget spacium furiis hostilibus ævi,*
*Ne sua progenies, Ecclesia nomine vero,*
*Concidat : ecquidnam divina oracula longâ*
*Exaudis serie, clamantia carmine blando ?*
*Scripsi ego in his manibus sanctorum nomina, quorum*
*Nulla unquam nostra vis eximet arce Salutem,*
*Illam illam ante alti quam sanxi exordia mundi*
*Quem tamdem flamma victrice perire jubebo,*
*At mea fata omnem super interitum integra præstent,*
*Aeterno ex ævo, coram me, perpes in ævum.*
*Sic cum te Pietas & puri gloria cœtus*
*Adscribant castis ; intra te Spiritus acer*
*Testis adest nil posse hostem ; fracta omnia mortis*
*Spicula, tabificum tumulis liquisse venenum.*
*Hinc spes certa sui, confundi nescia, tandem*
*Exoritur, quæ cum putri consumta veterno*
*Corpora contra omnem rationem abjecta recondi*
*In patriam cernit terram ; tamen omnia contrà*
*Momina mortalis Curæ, Sophiæque potentis*
*Ludit incassum, scitque & proclamat ab Orco*

Hunc

*Hunc eundem rediturum hominem, qui vixerit isthic,*
*His membris formatum, hac mente, hoc ore vigentem,*
*Præter, humo quod massa rudis concreditur, at mox*
*Consona divinæ naturæ Gloria corpus*
*Ambiet, atque animæ immortali æquabit honore.*
*Sic adeo sanctis fidibus Rex insonat ingens*
*Rupe Sibonæâ residens, dum nablia dulci*
*Spiritus Omnipotens insultat pectine cælo.*
*Me tu Orco ex ipso & scelerati fauce sepulcri*
*Eruis, haud unquam charum passurus amicum*
*Nocte sub infandâ Stygiæ periisse paludis.*
*Hanc qui prædè Deo spem certâ mente receptam*
*Quotidiè exauges per sancti oracula verbi,*
*Quei mortem tremere, & Centaurum horrescere possis*
*Mortifero armatum ferro? Nonne omnis ab imo*
*Bullit humus gremio fragranteis suavia flores?*
*Nonne ipse egregiâ Ambrosiâ spirabilis aër*
*Arridet circum, & puro se tempore pingit?*
*Quid porro triste esse homini Fortuna jubebit,*
*Cui mors ipsa lucrum est? medias volat ille per urbes*
*Rex curis planctuque hominum: Ratione potenti*
*Incerti domitor casûs; princepsque sub omni*
*Sortis agone suus: non illum turbidus ævi*
*Abripiet torrens, ipsam qui spernit abyssum,*
*Sic Pietas domitrix animi, sic Regia veræ*
*Nobilitas se lætitiæ sacram indit Olympo.*
*Dum gens servitio terrestri subdita morum*
*Deliquium in patinis & olenti quærit Iaccho.*
*At non vana furens hæc agmina novit in ausus*
*Terribileis mundus, contemta, sed undique calcat*
*Vota animæ puræ, nec enim sentire ruentem*
*Impietas sua damna sinit: ignobilis inter*

*Frendenteis,catus,it ut hostia debita cultris;*
*Nam si ipsum Dominum sputu sparsere nefandi*
*Latrones,quid discipulis impercere credas?*
*Hæc nota Sanctorum est,quacunque in parte videbis*
*Christicolas veros,contemtile nomen habebunt*
*Oppositis aliis: nec enim gens dedita rerum*
*Instabili studio est,mens ardua quærit Olympo*
*Signa viæ ad superos; hæc ingerit omnibus inter*
*Tempestiva cum,nec tempestiva,notatrix.*
*Vt plenus vates arcano numine gentes*
*Edocuit,doctor veri: sic lurida vilet*
*Effigies lethi; cerne incluta signa triumfi,*
*Perfossum latus, & florentem vulnere quino*
*Purpureum lethi domitorem,ut funere victo*
*Surrexit tumulo; juxtà lapis ostia servans*
*Procubuit retrò; spelunca clarus in imâ*
*Aligera juvenis forma,fulgentior igni*
*Et nive candidior; soboles levis ætheris alti.*
*Signifero cui militia immortalis Olympi*
*Servit,& ad nutum celeres parere ministri.*
*Ille canit lætum Pæana,& jubila jactat,*
*Tristibus ignoto mortis Victore puellis.*
*Quem nuper tumulo,mortali more,potitum*
*Post crucis exsequias, & lamentabile funus*
*Stipitis infandi,quem quæritis,exiit isthinc.*
*Non jam membra sola capienda volucribus ultor*
*Asseruit nervis; pars magna secuta triumfum*
*Emersit tumulis,signum ad Regale,parentum.*
*Heic sublimis Adam, jam non ignobile malum*
*Cui noceat: liquere rogos animæ undique sanctæ*
*Omnis progenies Sethi, genus omne profectum*
*Abbelidæ de stirpe, genus simul omne Noachi,*

*Excepto*

*Excepto risore, altam migravit in aulam,*
*Victoris comitati ultricia signa Triumphi,*
*Quem tulit ad superos Erebo immaculabilis agnus.*
*Nec non Abramides pueri, cum patre, secundis*
*Alitibus fugere umbras, cæloque dedere*
*Spes patrias, stratoque ducem serpente secuti;*
*Præcipue Diis Charus homo, cui Regia Virgo*
*Stirpis Iessiacæ peperit prænobile germen,*
*Docta movens celeri Psalteria carmine Vates.*
*Quippe viro prædicta omnis, vivoque colore*
*Historiæ series expressa, Nepotibus olim*
*Egregiam stabilire fidem, vitamque professa est.*
*Parte alia sanctorum animæ comitantur euntem*
*Iesaiæ Hieremiæque, & grandia nomina dictu.*
*Quæ cum corporibus jam non mortalibus aptæ*
*Sublimem stipant Agnum in cælestia tempe.*
*Primitiæ salvete hominum, quos gloria Christi*
*Eripiet tumulis; nostris Victoria vestra*
*Egregium spondet curis de morte triumfum.*
*Illicet in latebras terræ concedere matris*
*Raptat Amor; mors sæva ubi jam diuturna retardas*
*Tristificum quondam telum? Furiale flagellum*
*Et serpenticomæ Alectus ridetur imago.*
*Nupturiens virgo ceu suavi comta corolla*
*Ingreditur thalamum sperati, & gaudia multa*
*Simplicitate capit; liquido mox mitis Amore*
*Completur, prolemque intus ceu gnara figurat,*
*Vnde sui stabilem memori procul exigit ævo*
*Effigiem in stirpem, & post fatum in sanguine vivit.*
*Sic Anima & Corpus conjunctæ carcere mæsto*
*Suspirant non tam thalamum, quam fædere funus*
*Vivifico. Nam subter humum dum victa recumbit*

*Machina ab arrosu cariei, ecce integer ævi*
*Spiritus in Domini gremio meditatur Amorem.*
*Quem cum membra dehinc alto surgentia busto*
*Concipiunt, dant non mortalem in secula prolem.*
*Ille novus vocitatur homo; quem lurida tabes*
*Tota dehinc fugit, & superis similem esse relinquit.*
*Posteritas quem nulla manet, suus ipse profundam*
*Temporis æterni seriem secum occupat hæres.*
*Non jam conjugii memor aut terrestris Amoris.*
*Non studii rerum tota cum mole cadentum*
*Mortis in imperium: Cui non Venus ebria mentem*
*Fascinet in facinus, quem non metus urat, & inter*
*Spem Vitæ Exitiumque, inimica ambagine voluat.*
*Sed Victor Rectorque animi, quin nulla rebellet*
*Cui, precium infuscans rerum, mala Opinio, censu.*
*Absolvens in Laude Dei fontem inde salutis*
*Vnde fluit, quippe omne bonum bonus auctor in uno*
*Appendet sese, dum se penetralibus imis*
*Noscendum dabit, & spe prægustata, reponet.*
*In quam omnes vixere Patres, sanctamque dedêre,*
*In quam nostra etiam contra furiasque necemque*
*Arma aciem expediunt forti mucrone potentem.*
*Qua sine nulla adeo per humum vaga bestia serpit,*
*Nulla valet spaciis data cæli, aut aera findit,*
*Nulla mari in magno squamosa volumina versat,*
*Quam non prosperius vecordi vivere dicas*
*Vitam hominum genere, ærumnis curisque malaque*
*Fortuna torquente breve & variabile seclum.*
*Præcipuè Christi quæ pars se nomine sancto*
*Nuncupat; hæc stipans semper mala, pessima semper*
*Attrahit, inque vicem pejoribus impia mutat.*
*Quam simul in misera conceptam vivere matre*

Trux

*Trux hostis, sua Pœna, videt: non mollibus instar*
*Exagitans stimulis; morborum Examina mille*
*Aggerat; hos facili medicamine solvit in iræ*
*Pallentis furias, his lamentabile bilis*
*Infundit fuscæ virus: nec nomina cladum*
*Voce sequi aut tantas poteris comprendere pesteis.*
*Quid referam arcanæ nunc bella domestica pugnæ,*
*Adfectusque truces, contra vitamque salutemque*
*Inter se vario miscentes impete bellum.*
*Queis miser intra se vecordi fluctuat æstu*
*Ne potis externi Martis fera tela cavere*
*Vt cum lenta urbem frustra ferroque petunt*
*Et flamma obsidio, nec vis jam profuit hostum*
*Tormentorum, adigens immania tela per auras,*
*Ignitasque faces, lapidumque examina densa.*
*Obscuros subit in cuneos furor hosticus; Vrbem*
*In mediam emergens arcanis und[illegible] jeris.*
*Nil ibi contra assit virtus, dum sanguine fuso*
*Tutatur muros contra, dolus impiger astu*
*Obrepit docili, portans inamabile lethum.*
*At nos ille procul vera virtute vagantes*
*Erigit, in terris qui cum mortalia membra,*
*Ferret homo veniens alto per virginis artus,*
*Antiquum solo nutu, & virtute loquendi,*
*Ejecit serpentem, ipsaque è morte reduxit*
*Putrenteis nervos; animataque membra relicta*
*Sanguine jampridem, amissas erexit in auras,*
*Ille potens operum mutis dare jura loquendi,*
*Auditum surdis, cæcis dare luminis usum,*
*Incessum claudis, cui nil non paret, habenas*
*Aeterno imperio rerum torquente IEHOVA;*
*Spes Patrum, spes nostra, & spes æterna Nepotum,*

*Ille animo ignotus Sofiæ mortalis amico,*
*Qui lucem egregiam poſtremo in tempore nobis*
*Purgatam oſtendit, ſua Fata atque orſa reducens;*
*Ille Deus, natusque Deo, de virgine caſta*
*Idem natus homo, miſera ut mortalia Chriſtum*
*Non renuentem ægros artus, non viſcera noſtra,*
*Perfugium verum, veræ pietatis haberent,*
*Ille inquam nos vitæ hujus det turbida ventis*
*Sic exire freta & portus intrare petitos*
*Vt mortem æternam, contemta luce caduca,*
*Temnamus, non ceu meritis gens fiſa ſuorum*
*Ab miſerorum operum; ſed quos bona Gratia vitæ*
*Irradiet radiis, Sol ipſe excelſius Olympo*
*Mitibus adſpiciat oculis, ſic pallida diri*
*Effigies Lapithæ, lita felle & tincta veneno,*
*Spicula proiiciat. ſpacioque expulſa per auras*
*Cæleſti fugiat, ſeque in ſua tela trucidet.*
*Non aliter quam flammigero de circite Olympi*
*Frendentem Michael dejecit in ima Draconem,*
*Sulſureæ antra paludis, & atro immerſit Averno,*
*Styx ubi cæruleo vada per nigrantia ſerpens*
*Agmine, ſquallenteis tenebras eructat, &, umbris*
*Flebile, Cocyti ſtagnat triſtiſsimus amnis.*
*Sic vita in miſera felices denique vitam.*
*Veram exſpectemus, quos maximus ille timorum*
*Non tangat Lethi metus, aut fati auferat horror.*
*Hæc eſt ſumma boni quam prendere mente ſagaci*
*Poßit Homo; fruſtra quæſita Parentibus olim*
*Cum rationis iter per devia prona ſecuti*
*Ignotum Fidei numen temſere Sophiſtæ.*
*Horum alii virtute ſua componere moreis*
*Felicis vitæ normam ſcivere rebellem.*

*At*

*At quis compositis ordo pote moribus esse*
*Quos malus in latus omne timor percellere pugnet?*
*Evincatque furens Fati violentia contrà?*
*Nam genus omne virûm, cum functa ad corpora ventum est*
*Delirâ ratione redit, ne Gloria constet*
*Firma Deo, sine quo Sapientia cuncta supino*
*Errat in effectu, fontemque haud tangit apricum.*
*Optatæ Sophiæ: nobis lux desuper ingens*
*Affulsit, dubitare oculis non audet apertis*
*Quoi fido se teste frui datur absque periclis.*
*Nostra fides affixa Deo est; si regula vitæ*
*Interijsse nequit, si veri fallere norma*
*Nulla potest, nos certa salus sponsore IEHOVA*
*Exspectata manet; Mecum tu candida fata*
*Quære Dei in dictis, quorum compendia sancit*
*Vltimus è nostris liber his; sed sedulus audi,*
*Simplicitas ne quid divinis credere nolit,*
*Augurijs, non est doctrina aut gloria sensûs*
*Per quam salvus homo est: sola illa atque unica Christo*
*Fisa Fides, dat justitiam, dat candida culpis*
*Pectora; & accepto veneratur carmine cœlum.*
*Hæc medio in cursu per dura atque aspera servet*
*Pugnantem adversis animum: Pater annue dictis*
*Vt quoque nostra Salus tibi commendata cruore*
*Immaculati Agni, primo de carcere vitæ*
*Extremam ad calcem constet sibi, nec dolus aut vis*
*Seditiove interna animi, mentisve tumultus,*
*Effrænes operum deserta in devia raptent.*
*Præcipuè infelix Venus, & furor ater habendi,*
*Quæ duo cum primis ætatem hanc crimina versant.*
*Tertius accedat si Bacchus, & orgia laxet.*
*Sic cinctus lauru clarentia tempora Vates*

*Occurram venienti in spem tibi, Christe, salutis.*
*Nec memori umquam animo rata carminis hujus in ævum*
*Excidat, arcano series tibi credita corde*
*Atque inter Proceres blandis te carmina plaudant*
*Nostra sonis, quâ prisca ciens oracula Moyses*
*Egregio dixit mysteria maxima versu,*
*Et patiens Pœnarum Heros, qui corpore læto*
*Exhausit tristeis Furias, vicitque ferendo.*
*Nec non regali psalteria pollice pulsans*
*Acceptus Domino vates, quo principe ramus*
*Descendit vitæ, Vitamque in secula duxit,*
*Omnipotens, tu Fata sequi da nobile Votum*

FINIS SAGITTARI.

C. BARTHI

# ZODIACI VITÆ CHRISTIANÆ.

## LIBER X.

## QVI ET CAPRICORNVS.

*MAgnanimi Heroes, ævi melioris ab auro*
*Progenies; vestrũ hoc sidus, vestra incluta cœlo*
*Floret flamma, vomens regale in secula Lucem.*
*Vnde sacri Indigetes populi præcepta regendi*
*A primis usque incipiant producere cunis.*
*Non secus ac nu[illegible] magno subjecta Leoni*
*Imperia ad vestros deduximus ethere cultus.*
*N[illegible] jam dicta canam; juvat ire per intima rerum,*

*Pacificasque hederas bellaci innectere lauro.*
*Quæque uno nequeunt comprendi carmine ritè,*
*Succedant alio memoranda Nepotibus, oestro.*
*Quippe ubi major adest in læva licentia cursus,*
*Et gravius monitis opus est, & Apolline crebro.*
*Sic quoque vel visam temnit Regale salutem*
*Imperium, adsuescens à primo mollibus ævo*
*Delicijs, vatisque pij rata dicta perosum.*
*Principio Natura viros atque auctor ab alto*
*Quos ad sceptra vocat, medio dat pondere natos*
*Nec totos mala facta sequi, nec prendere tota*
*Mente, quod electu summum latet; illicet omneis*
*Ad mala sunt faciles, Fortunæ Lege, tyranni,*
*More adeo cunctorum hominum; malegrata colentem*
*Sponte fugit Probitas, quærentemque, ardua visu,*
*Deserit; hanc duram adspectu, sacramque potitu,*
*Summovet exæquans, generosa Licentia, culpæ.*
*Nam qui cuncta potest odit Legesque, virosque*
*Tutores Legum rigidos, quos dicere vivas*
*Spiranteisque queas Leges; quia condita servant*
*Iura sacri in latebris cordis: contra aurea factu*
*Subrepunt scelera, & mentem in declivia ducunt,*
*Scilicet hoc regni pendentem gaudia fine*
*Feliceis persuasa Deos, quia cuncta potiti*
*Imperitent nutu, & verbis facta omnia volvant.*
*Quæ cum ita sint fas est prima incunabula Regum*
*Fructiferis studijs Sophiæ coluisse severæ.*
*Quippe ferox sine lege ruit sua quærere damna*
*Indocilis vitæ, populus: Lex scripta receptu*
*Sacra sub antiquo, senibus firmata tabellis*
*Pars Rationis adest, non inquirenda Vetusti*
*Sanxerunt Proceres: Rationis fida magistra est*

*Arcanis vulgò Sapientia, credita chartis.*
*Ipsum adeo hanc Regem primo cum lacte decorum est*
*Imbibere, & paullatim annis augere receptam.*
*Nempe quod hac nihil est usquam generosius unâ,*
*Quæ stirpem æthêream sensim ad cœlestia ducit,*
*Fœda Voluptatis calcantem regna Tyrannæ.*
*Præterea ut tinctus florenti nectare princeps*
*Ambrosiæ mentis dominæ, quam Pallada dicunt*
*Purgatæ reginam animæ: quæ scita priorum*
*Discat, & in populos doctrinam digerat usu.*
*Ne, dum Orbem procerum regat ad consulta suorum,*
*Infido infelix interprete pendeat, & Vi*
*Incolumi ignotâ se justiciâ inferat Heros.*
*Nil est præterea mentem quod atrocius altam*
*Percellat, quam cum majestas Regia sentit*
*Sese inopem solo fastu præcellere plebem.*
*Bacchatur tamdem infelix; neque fræna dolori*
*Scit dare jussa suo, nec varo abscernere rectum.*
*Nemo adit indoctum, soloque furore potentem*
*Admonitor, teneris objurgari inscius annis*
*Frendet in adstanteis, & se damnare peritos*
*Vel tacitos stupida necquicquam colligit irâ.*
*Hinc vomit in Proceres odium; solusque, bonorum*
*Suspicientem aditus, torquet delator acerbans.*
*Et grave adulantum facinus, quod peste maligna*
*Subrepit, fatuamque sagax dominatur in aulam.*
*Hi qui vera premunt mendaci condita fuco,*
*Falsaque, quæsitis exculta coloribus ornant,*
*Ut subeant animum, nec libertate loquendi*
*Usi ulla, blandis simulant mysteria dictis.*
*Turpia commendant, atque utilia esse sequenti*
*Ostendunt stultis; vetita hæc Sapientibus, ajunt,*

*Ut vi-*

*Vt vires Rex ipse suas ignoret ab usu.*
*Intereà stolidi vecordia principis horret,*
*Atque elusa suis servit risoribus Aula,*
*Ditescuntque canes, tutela ingloria tabet,*
*Officia exspirant; sicco vix corpore pendet*
*Cratibus à miseris regni rota; donec in unum*
*Fortuna trudente, cadat. Sapientia longè*
*Spectat opus, scitque una modos, quibus obruta poßint*
*Restitui decora, & prisco se attollere cultu.*
*At cum omnis adytis excesserit ordo Sophorum*
*Interitu summo pessum cadit alea rerum.*
*Hanc adeo labem sola hæc medicina Tyranno*
*Delebit, si litterulis dabit ipse Iuventam*
*Et docile ingenium primis non negliget annis*
*Quod si inconcessos vulgo rimatur honoreis*
*Corporis in cultu stirps Regia, nummis hæres*
*Ex atavis; longo sceptrum missura Nepoti.*
*Vt rectum in cono nulli fas ferre tiaram*
*Nec gerere incinctis niveum diadema capillis,*
*Aut auro effusa caput altum efferre corona.*
*Nulli sceptra manu jus, signa, capessere regni,*
*Aut Solio Regali artus extollere, cultu*
*Purpureo; aut Faleris in equo sublimibus ire,*
*Non adeo læta tentoria comere lauru,*
*Non sacram propter thalamo procedere flammam,*
*Nascendi nisi quem regnis admoverit Ordo.*
*Omnia quæ firma Ratione innisa probavit*
*Omnipotens, quoddamque dedit ceu Numen habere*
*Regibus; Exclusit divina Pallade vulgo*
*Rectores populi, sibi adoptaturus in ingens*
*Terrarum Imperium: quid restat amabile divi*
*Ingenium indigetes sacris quin moribus ornent*

*Doctri-*

*Doctrinæ, vulgoque velint arcana repostis*
*Discere litterulis, usu promenda jubente?*
*Hæc aciem Expediant, hæc ornamenta sequantur*
*Mentis, ubi gemmis & picto murice corpus*
*Egregium pronam cernunt attollere plebem.*
*Copia nulla deest. Multos de plebe sagaci*
*Florentes animo, rerum à penetralibus ingens*
*Pauperies, seponit, onus. Multi ignea celsi*
*Stirps augusta poli: Vitæ melioris origo:*
*Hos studiis victos, ignavus detinet auctor*
*Venter, & ereptos curis cœlestibus æstus*
*Torquet humo: non una mora est quæ corpus egentis*
*Invidet ætereis radiis; quæ singula Reges*
*Non metuunt; audita aliis vix credere norunt;*
*Purpureo nati in thalamo, quos lucis & Aulæ*
*Una dies opibus donavit, & omnia circum*
*Submovit, nocitura animo, ne præpete cursu*
*Ad Sophiæ possit præruptum escendere collem.*
*Hinc jubeam; quamprimum Elementa docentia voces*
*Scribendi numeris perceperit, exeat arctis*
*Grammatici latebris Naturæ ad munera, Princeps.*
*Non ut regales animos turpantibus umbris*
*Illiget, & vili verset se in pulvere pallens.*
*Nec Genium patrii nolit rimator Olympi*
*Scrutari radio, atque astrorum evolvere Leges.*
*Ut stata temporibus divino numina nutu*
*Discat, & ex alta Regum Regem audiat Aulâ.*
*Non ut deliro Chaldæi dogmata sensu*
*Quærat, & in geneses vitam deponat aniles,*
*Distinguatve dies, aut fata erepta regenti*
*Alliget ille domo, vetitis hæc sanctio dia*
*Accenset; Magicus sunt hæc primordia technis*

*Utcun-*

*Vtcunque & queiscunque modis simulata supernè,*
*Tartarei ingenio prædonis, et improba mentis*
*Nota superstitio nostræ, suavissima nectit*
*Principia, & facili deludit acumine sensus,*
*Vt per se pereant; sacris si Sidera norit*
*Limitibus servire Deo; qui fusus Olympo*
*Implet agens vitâ sancti specularia templi.*
*Hinc florere herbas, hinc molles vertere succos,*
*Corporaque in vitam atque è vitâ tradere discat*
*Vt non cæca sequi veteris ludibria casus*
*Aut atomos velit; aut primordia quærere rerum*
*Ex Elementorum discordi ad singula nexu.*
*Qualibus in tenebris Grajæ deliria longum*
*Hæserunt Sophiæ, Latio recolenda Nepoti.*
*Sed cum divinis auctorem norit ab orsis,*
*Coram opere in magno miretur, & omnia quondam*
*Nil sciat, ex nihilo verbo procusa fuisse.*
*Ordine quæ illustri sua se in compendia versent*
*Ad nutum Domini ne de tot millibus usquam*
*Vna ævi nictu, pars in contraria tendat.*
*Millia tot, facili revoluta ambagine, Vitas*
*Machina mortali suffecit nobilis orbi;*
*Annorum, totque illa eadem decedere formis*
*Tempore præfixo jussit; fecere jubentis*
*Per sua Signa Dei mandata, &, condita, retrò*
*Abscessere locumque sequenti in fata dedere*
*Quo redeant, adsint unde, ni quæ tempora dentur*
*In vitam nulli cognoscere tradidit umquam*
*Omnipotens; arcanæ hærent caussæque viæque*
*Iuraque; sed studys Pietatem insistere cunctis*
*Queis Ratio, imposuit mandans: Hoc ordine, quamvis*
*Non pateat nobis, nobis tamen ardua visu*

Sic

*Sic, Natura, patet; ne quàm spelunca reducat*
*Vixadeunda Dijs, annorum squalida mater,*
*Lubricus aut serpens, sua qui primordia fini*
*Misceat, extremam dum glutit guttere caudam.*
*Omnia quæ veterum Musæo nectare vatum*
*Fabula contingit, non intellecta reponens*
*Ipsa sibi, ut moveat populum, ceu gnara Deorum.*
*Fictilis hinc quadriga patet, quæ momina ducit*
*Inspirans operi vitas; Sol altus Olympo*
*Vivificis animat turgentia corpora succis,*
*Corpora suppeditant tellus, & mobilis humor*
*Aera complexus nitidum; calor æthere solo*
*Ducitur; officiumque Dei, ceu fida canalis*
*Per spatia invergit seclis; Pater altior ipse*
*Delectatur, opus magnum sacro ordine versans.*
*Et soli se homini monstrat, cui sanctior aura*
*Indulsit meliorem animam; speque astra secutum*
*Erexit terra, ne desidie germen honore*
*Sectetur luteum, atque animantum more feratur,*
*Quorum vita isthîc absolvitur; at vigil alto*
*Spes meliorem adigit menti, quam præpete cursu*
*Aevi, per spacium petimus, petimurque vicissim*
*Temporis allapsu; nam non magis æthera celsum*
*Quærit homo, à celso quam quæritur æthere; taleis*
*Conditus in curas Orbis Pietate IENOVAE*
*Humanos sequitur, quà fas est noscere, sensus.*
*Sceptrifero at juveni primo cum lacte bibantur*
*Cœlestis Sophiæ præcepta, ut tempora servans*
*Constet in his sibimet, quorum in fundamina ponens*
*Devotum studijs animum, mortalia porro*
*Iure regat sancto, sanctis quod ducat ab Orsis.*
*Vt tenerum gaudens nutrire, Ecclesia, Regem*

Quot-

*Quotidiè ostendat Domino; probet Optimus auctor*
*Quærentem primo, sursum quærenda labore,*
*Adjiciatque ultro peritura commoda Vitæ*
*Largus opum; hunc bello positis Victoria pennis*
*Longævum maneat; videatque altaria circum*
*Florentem larga sobole, & sua tempora læto*
*Condentem numero, Pax Aurea; cujus amico*
*In gremio viget effuso Bono Copia Cornu.*
*Egregiæ increscunt arteis, Respublica justæ*
*Iustitiæ ad normam cunctis æquabile verum*
*Dividit; insanæ procul exsulat impetus Iræ,*
*Et bello prædæ, data iura & prodita technis*
*Simplicitas. Dat viva Exempla & nobile verum*
*Testatur, populi moderans modo fræna Britanni;*
*E teneris quem Relligio sanctißima cunis.*
*Asseruit sacrum Sophiæ cælestis Amori.*
*Subdita semido florent tria regna, sub unis*
*Auspicijs; anima ipse suis plebique Patrique,*
*Immensum paribus regnum moderatur habenis,*
*Integer à vitijs, non sanguine perlitus atro,*
*Non Procerum terrore tumens. Regit omnia felix*
*Numine tranquillo: quocunque aciem ingerit Heros*
*Respondet radijs regalibus aurea Virtus*
*Parentis populi; Patriæ Pater, unicus ævi*
*Nempe sui Solomon, non tempora ducere secli*
*Contentus sine Labe sui; dat scripta Nepoti*
*Admiranda libris: ô felix regia, felix*
*Divinæ soboles stirpis, felicia regna,*
*Quæ, cum turbinibus latè bacchantibus omneis*
*Inter se populi furiali cæde ferantur*
*In facinus; mediæ sedeant tutißima Pacis*
*In studijs: hæc illa ævi sententia prisci est,*

R Tum

*Tum demum fore regna, canens, sine labe beatá*
*Cum Sapientis heri gravibus parebit habenis*
*Nusquam implacatos metuens Respublica ventos.*
*Insula dives opum, cunctis ambita tyrannis*
*Quippe sacræ Fidei custos, in fœdera; quippe*
*Rege pio torquente potens; te secula dicent*
*Fortunatam inter Proceres; te firmus Olympo*
*Te Domini custodit Amor; te Regia celsi*
*Nobilitas animi, quam stirps æquanda parenti*
*Sufficiet seclis, nullo dabit esse beatam*
*Fine tibi; roseis longe Victoria pinnis*
*Distineat, nunc tecta, hostem, nunc clara moventem*
*Bella, odysque dolisq; & ferro & fraude potentem.*
*Nos alio suscepti operis nunc avocat ordo.*
*Hinc te curvipedem sectari in puncta decorum est*
*Lineolæ ductorem in cætera, circulum ab orbe.*
*Cui sacer Harmoniæ cultus se quattuor infert*
*In numeros, discitque arcano emblemate ductûs*
*Metiri rerum spatia, & dare ducta figuris.*
*Hinc sata castrorum sollers metatio, velox*
*Vallandi ratio: quòd si Mars justus in arma*
*Exegit bello pugnacem, (ut Regius olim*
*Asseruit patriam vates, Psalteria mutans*
*Ense gravi, adversas penetrans pro fulmine turmas)*
*Omnia tuta potest docili prætexere muro,*
*Munimenta sibi struere, & structa ilicet hosti*
*Præcipitare solo: Quod si violentior urbis*
*Obsideat claustris Fortuna; potentior arti*
*Concedet Virtus: Siculis ceu maximus auctor*
*Marcellum tenuit muris, & præpete robur*
*Invictum lusit sollertis acumine sensus,*
*Ille quidem frustra longos sedisset in annos*

*Anni-*

*Annibali quondam, miles, sub judice magno,*
*Terribilis: nisi proditio scelerata decoras*
*Preßisset Laurus, sic perfida sæpe Deorum*
*Segnities inventa ruit, nisi cautior heros*
*Præcipiat fallax studium, avertatque cavendo.*
*At levis & malo laudandus proditor ævo*
*Interijt, manet ille potens in secula [illegible],*
*Nobil[illegible] cui bustum depicti ætern[illegible]*
*Effigi[illegible] [illegible]ti volventibus eximit [illegible].*
*Bellica cum clausas urget violentia portas,*
*Maxima relligio est operum, seu pellere longè*
*Instantem claustris hostem, seu frangere muros*
*Obsidione ducem poscit Mavortius ordo.*
*Quod si inconsultus credat sua Ductor amicis*
*Ambiguus turpi longum in st[illegible]ne sedebit,*
*Colludent hosteis decepto Rege per artem*
*Hostibus: ipse etiam ludibria cæca suorum*
*Stulticiâ turmis dabit, obsessoque vicißim*
*Obsidione novâ dum credit, ab hoste premetur.*
*Sed vigil & sollers munita repagula rerum*
*Metiri sensu, signataque mœnia secum*
*Semper habere domi; velox nunc terrea subter*
*Munimenta catam molem deducet agendo*
*In seiros latè, cuneisque intexere fossas.*
*Intextasque operire, & cæco evolvere vallo*
*Doctus; ubi nec summa metus vestigia tangent*
*Inclusos, stetit ecce sacer per viscera juxtim*
*Miles, & in salvis figit Victoria muris*
*Signa; sub egregij properant fastigia turbæ*
*Principis; ille animo recipit: quod nulla Gradivi*
*Vis ferro flammave potest; ars efficit, exlex*
*Adstringi; Fortuna, tibi, cui subjicit arma*

*Indocilis Virtus mollirier arte magistrâ,*
*Tantum habet hæc etiam momenti à vilibus umbris*
*Circantis tereti mucronem ambagine, cycli.*
*Ignea quid memorem certâ ratione tenenda*
*Fulmina, quæ vacuis se concipientia venis,*
*Immaneis uno tonitru raptura maniplos*
*Horrisonum ructant gemitum, fremit æthere toto*
*Sulfuream in nubem globus, & furialia late*
*Turbine præcipiti muris incendia portat.*
*Nil. operum solers, tale inventura Vetustas*
*Abstinuit curis; quondam clarissima virtus*
*Et superis æquata, virum, nunc fulmine crudi*
*Calonis jacet; ingenteis in viscera cladem*
*Admittunt cunei; stant omnia clade minora*
*Verba gravi; quondam Antigoni Mavortia proles*
*Urbibus à captis peperit cui Laurea nomen,*
*Nobile quid nostro possit jactare labori?*
*Si levis, & pueri dextrâ protrusus ab imo*
*Unà omneis ipso rueret cum principe moles*
*Igne sacro torquente, globus: vix magna sequetur*
*Facta Fides, si quando legent conscripta Nepotes.*
*Quem veterum indigetum potis æquiparare vel audax*
*Fabula, vel constans veri Regina diserti*
*Historia, armipotenti in libertate tuendâ*
*Mauricio? nisi gesta oculis coram ipsa viderent*
*Secula, nulla Fides jurando jure probaret*
*Semidei curis hæc acta Herois & armis,*
*Non adeo ni pugnas solum insuperabilis instat,*
*Cedere, ni pulso procul hoste, ignarus & impos,*
*Excutit è stabulis rupto munimine reges.*
*Da ferrum in pluteos, chalybem succrescere muris,*
*Turribus è solido ductis adamante rigenteis*

*Muni-*

*Muniri latebras, atque ipsa in Tartara fossis*
*Effossis cingi, rapidum Phlegetonta sonoro*
*Flumine flammivomô se vortice volvere circum.*
*Inveniet virtute viam: Non teste videbis*
*Historiá, unanimi se tota Europa volentem*
*Consensu dabit in laudeis: hic pulvere docto*
*Horrisonos animat lituos, scriptisque figuris*
*Ante aciem victor vincenda per agmina regnat.*
*Ille potens radij vetereis Euclidis habenas*
*Cum retinet, procul exciso fundamine turreis*
*Subsidunt portis, & propugnacula diro*
*Cum sonitu cecidere solo; nec fortior illo*
*Dux Macedum stricto coram decernere ferro.*
*Non acie mentis sollertior, omnia, Cæsar,*
*Priscorum præ se contemnens nomina Regum,*
*Seu castris munire aditus, tortasque virûm*
*Mille per ambages securum eludere telum.*
*Seu vallo confisum hostem percellere sacri*
*Viribus ingenij, cuneosque evolvere terra,*
*Aut instare operi, nunc tenuia lintea contra*
*Firmatos saxis muros atque aggere crudo*
*successu statuisse pari: quum æthere toto*
*Aequatam molem nullo ædificare labore.*
*Quæ velut ex alto bacchantia fulmina cœlo*
*Concutiat, fatale tremens, formidine martem.*
*Heroi nihil arma negant, nihil alitis ingens*
*Ingenium curæ: quod si contrà effera Virtus*
*Arma tibi spectanda viri, quo fulmine dextræ*
*Neuporti ad muros jam prorsus ovantia fudit*
*Agmina; quantæ urbes sollerti indagine victæ*
*Submisere caput; dictis mihi longior ordo*
*Surgit, in æternos quondam ruet alite digno*

*Et reditus, ne docta doli sub principe bruto*
*Arripiat quæstura nefas, tibi subditus, æger*
*Arrosa diras indicat, & æthera votis*
*Sollicitet: sæpè adspectu te cautius ipso*
*Turpe lucri studium adstantem, sine lege, fefellit,*
*Illusitque palam, dum fido credis Achati.*
*At tibi tute dabis sollertis acumine palmam*
*Indicij, cum magnanimo sub principe morum*
*Nesciet, ut cupiat, numeris, levis auctor, abuti.*
*Ipsa eadem in campo complet sollertia dudum*
*Majestatis opus: quid fœdius esse potenti*
*Tot numerorum hominum censebis, abire suorum*
*Quam per circuitus, alieno nomine fisum?*
*Ipse tibi pretijs distingues omnia certis,*
*Non tamen unus in id decumbens mente retusâ*
*Vt spernas præ te monitùs senioris amici.*
*Non huc ire tuum est, sed nosse quid inferat istinc*
*Portio tanta tibi, minor hinc quid ferre recuset.*
*Ne tantum Imperij corpus mens bruta gubernet,*
*Nullibi nisa pedem recto defigere talo.*
*Tu supremus opum censor, tu maximus ille es*
*Arbiter imperij, quem spectant jura minorum,*
*Hæc numeris adstricta decet te nosse regentem,*
*Dividere hinc precijs, sua cuique adscribere pulcrè,*
*Reque usuque tenere & vi defendere pulsâ.*
*Cætera quid memorem, concentu ut dulcis amico*
*Musica divinis animet concordia chordis*
*Carmina? depositum blandi genitoris Olympo,*
*Vt mens fracta gravi curarum mole residat,*
*Et suavem haud vetita deducat imagine lusum.*
*Scilicet est operæ vocalem exscribere pictis*
*Harmoniam titulis, ut amaro turbine vitæ*

*Oblito intereà secum ingrediatur in orbeis*
*Sidereos, mens victa sono. Fide nobilis exit*
*Spiritus, arcano demulcens aëra palpo,*
*Auribus ut liquidis illapsa potentia Musæ*
*Eripiat curis animum, & titillet amatrix.*
*Fixa solo & rerum nebulis, stet pallida longè*
*Mæsticies, serpenticomo fugiens comitatu,*
*Quá cum avidæ excedunt Pestes, Furiosius habendi*
*Error, & in centum dispersa Lucentia clades:*
*Quod si animum ingratá detentum nube dolorum*
*Carmina non subeunt; extant sanctißima secli*
*Scripta libro veteris, quorum pulcerrimus auctor*
*Suavia terribili mutans psalteria ferro*
*Cœlestis secreta aperit, Sophiamque disertis*
*Explicitam numeris Phœbus mortalibus aptat.*
*Vt quocunque Furor Fortunæ incumbat ab ausu*
*Sit medicina parata, suis distincta figuris.*
*Regis Iessæi exemplo sit Musica cordi*
*Regibus; hæc doceat supera ut Sapientia Mundum*
*Concordeis regat in numeros; ceu dissona multo*
*Ore Chelys tamen Harmoniam consentit in unam.*
*Nulla patet junctura modis; distincta sub unam*
*Blandicijs summam properat mulcentibus aures;*
*Fidaque temperies in Epos vocat undique lectas*
*Egregium voces; sua quæque ubi munia juxtim*
*Fungitur; inter se quas dissentire putabas,*
*Dijs adeo acceptum carmen peperêre, Camœnæ;*
*Sic Rota quæ stabilem rapit altá ambagine mundum*
*Orbe suo redit in sese; tot partibus hærens*
*Diversis, uno imperium tamen ordine servat.*
*IPSE superfusus florentia corpora Vitis*
*Fons animarum ingens, (arcani Regula Fati,*

Rex

*Rex ævi, domitor seclorum, immensa potestas,*
*Lux Operis proprii, Flamma purissima virtus,*
*Mens, Monas, Imperium numerorum, altissima caussa,*
*Fundamentum Elementorum, Lex Aetheris almi,*
*Perpetua, ingenita, Omniparens Natura, Locoque*
*Et Numero, & Motu, atque Habitu incomprensa notari*
*Majestas, Commune Bonum, Sanctissimus Ordo,*
*Omnipotens Pietas, Modus intemerabilis; Omnium*
*Principium & Finis, sine fine & Origine, rerum.*
*Totus ubique, in quo, quæ non sunt, omnia; quæ sunt*
*IPSE dedit Luci; cujus manus undique circum*
*Orbem amplexa tegit, qui cuncta alit auget, & in se*
*Functa loco recipit, (series æterna Quietis,)*
*Sufficit, & certo completi temporis orbe*
*Imperio revocat patrio; Stat Musicus ordo*
*Rebus in omnigenis; populos Rex blandus amatâ*
*Serietate regat; civem nunc lenior Heros*
*Induat, aspectu nunc majestatis honoro*
*Sevocet à vulgo Dominum: sic crimina Pœnas*
*Vltriceis metuant, Probitas propè præmia cernens,*
*Exsultet; sic Prosperitas amplexa regentem*
*Cum grege, felici suavissima flore coronet.*
*Vt Procerum studiis cantus Pietatis honestæ*
*Commendare velim, vice sic defendere versa*
*Obscænæ Veneris fractâ psalteria pompâ.*
*Caussa gravis sacro monitu: Stygis arbiter, horrens*
*Cælesteis animi cultus, queis Gratia cælo*
*Dia venit, mulcetque incensam carmine mentem;*
*Fædavit vitiis Musæi dona Leporis.*
*Quondam purificis numeris operata Voluptas,*
*Turpibus illecebris nunc ad mala cantica saltat:*
*Pruritum lacit inde Venus; quondam, arduus ævi,*

*Idem auctor morum, circum alta altaria Divûm*
*Ducebat citharâ, choreas, legesque canebat*
*Non sine sacrilego temerandas vulnere famæ.*
*Cui procul ante fores delubri Præco profanus*
*Abstinuit, Pænasque ingenti sanxit Honore.*
*Mox gracilis tenuit blando convivia lusu*
*Tibia, & in morem tenerâ consedit in aure*
*Addita vox, quali tenuisse vagantia vela*
*Dicuntur grata Seirenum peste Choreæ.*
*Intereà concentum animo Venus hausit, & exos*
*Composuit numeris corpus; dat Ionica, victrix*
*Mobilitas Sophiæ, lascivo gaudia saltu,*
*Vnde perit servata diu Custodia morum.*
*Scilicet irriguo cum nectare pronior Heros*
*In thalamum: è pluteis, denso Zenone repletis,*
*Dat saltum, trahit una alias Victoria sensûs,*
*Donec in extremo jaceat Sapientia fine.*
*In mortem subsultat Epos geniale puella,*
*Nuda, vel in Coa melius spectanda crocotâ;*
*Cui tener annorum flos per bombycina corpus*
*Eroseum monstrat juveni; furit ille videndo*
*Absentemq; animum loca in intima perditus urget,*
*Vnde Voluptatis species præsentia summæ*
*Gaudia, non ullo dictanda Lepôre, figurat.*
*Illa pedem intereà tollit lasciva premendo*
*Ad Cytharæ numeros, vix nablia pulsat, & inter*
*Se certant docili servantia lege tenorem.*
*Crusculа, quæ puro circumdans circulus auro*
*Dat lucere magis; nec non confinia pulcri*
*Apparent femoris; nec non turgentia mala*
*Pectore, spes juvenum, melos insuperabile molli*
*Pro se flore juvant; nec non ridentis ocelli.*

Illa

*Ille mali, ille mali, fons, ad leve carmen amicas*
*Evocat illecebras; dudum jacet, ardua dictis,*
*Majestas animi; sed enim vel maxima pestis*
*Maxima pestis adhuc tenerâ sub voce sepulta est.*
*Illa canens gesti suavissima prælia belli,*
*Historiam, veteris facti; quô denique fine*
*Infelix aditu, optato potiatur Amator.*
*Flebilibus nunc fata gravat restantia dictis,*
*Nunc leve momentum spes voti interserit auctrix.*
*Nunc adeo per tot curas, per millia multa*
*Aerumnarum uno lucet fidissima puncto*
*Virginitas; jam tota Fides levis una Puella est.*
*Stat puer infelix auditaque carmine dio*
*Visa putat; placet ipse sibi; cupit ipse potiri*
*Per tot dura bono, quo nil pote fingere majus.*
*Sed quid opus duris? ecce heic tibi præmia luctæ*
*Ante omnem præsto, fato donante, palæstram.*
*Ardet in egregiâ facie; doctissima sentit*
*Ex oculis animum, seseque indulget, & aufert;*
*Ante alios indulget, & hunc post, respicit omnes.*
*Primum habet intuitu, postremum haud sponte relinquit.*
*Quid non blanda Venus quid non puer improbus audet?*
*Totus in adspectu vivit, moriturque; nec inter*
*Vitam, obitumque aliquid potis est sentire relictum*
*Quod vocitetur Amor; jam jam juvat ire sepultæ*
*Exsequias Sophiæ: cum Victor ad oscula raptat*
*Ardor anhelantem, jam dulci nectare potus*
*Exsulat à se se; visu res mira, puella*
*Pendet ab illecebris; Quid cætera dicere pergam?*
*Principiis obstare juvat, averte canenti*
*Indocileis aures; Scirenis in æquore longo*
*Pestis adest; formosa, sed insuperabilis ergo.*

Hæ

*Has veterum technas Veneris tibi Pallas amico*
*Ore canit, cum Lotophagis è sedibus ingens*
*In pelagus meliori Ithacus ratione recurrit.*
*Hinc te dia vocat, Princeps cordate, Poesis*
*Colloquium ductura Deo. Tu discere ab annis*
*Sancta velis primis fida mysteria Musæ.*
*Hæc docet, hæc numeris levat enthea pectora Olympo.*
*Quæque regat populos diis una regentibus astra*
*Mentem æquat, dum semideûm gesta inclutà grandi*
*Ore canit: Quacunque aciem virtute fatigas,*
*Stant prisci indigetes, & picto carmine monstrant*
*Imperium in Sortis sortem retinere furoreis.*
*Scilicet his Princeps fata sanguine pectora divum*
*Instigat monitis, belloque indurat, Homerus.*
*Peccet ut effreni perculsa Libidine contrà*
*Iusticiæ mores fasque omne Potentia; fictis*
*Blandiciis gaudens animum laxare juventæ,*
*Exemplum dat molle Paris; quem flore vigentem*
*Atque opibus, quæ sola, & habenda ante omnia, decrat,*
*Forma trahit; nec Barbaricis opulentia Gazis*
*Ulla Asiæ Dominum patriæ jam detinet oris.*
*Classis erat fabricanda viris; procul æquora fido*
*Visa silere sinu; rudibus vix navita tonsis*
*Confidebat adhuc; ratibus vix usus in ipsis*
*Primus erat, volat ille omni in sua crimina velo.*
*Quippe potens, quippe ipse omnes pulcerrimus inter,*
*Nil vulgare cupit: Spartam expugnabit adulter,*
*Sic Venus ipsa jubet; nec enim per somnia pastor*
*Iudicium absolvit Formarum; in Pallade victa est*
*Ingenii Ratio, Iunonis imagine cessit*
*Regia Maiestas; matronæ & Virginis ambit*
*Thais amæna locum; vix nudo corpore sedit*

*Purpureum*

*Purpureum juxta, non ullo, Iudicem, honore,*
*Aureolum prono retulit Diademate malum.*
*Flet Sophie, flet pulsus Honos, flet prodita Virtus.*
*Ille abit, patriæ jam dulcem importat Erynnin,*
*Trans maria inquisita venit gratissima pestis,*
*Totum amplexa veneno animum; procul omnis ab alto*
*Culmine descendit sensim Neptunia Troja*
*Præcocis ob nocteis & nequam murmur Ephebi.*
*Ille negat Asiæ Imperium servare, ruentis*
*Marte Foroque palam, præ Grajæ flore puellæ.*
*Non adeo in Venerem segnis, quam vertere magni*
*Vindicis ora metu, & campo decedere vecors.*
*At Furiis quid sæva ausit frendentibus ira*
*Exemplum Aemonii pingit tibi bilis Achilleî:*
*Fortia tot socio necquicquam ex agmine letho*
*Corpora projiciens; iram Iuvenilis amaror*
*Natam ab Amore, ultro tota in præcordia mittit,*
*Magnanimi domitricem animi, nil prælia curæ,*
*Infami lituos sedet ad tentoria temnens*
*Segnicie, perit interea data Gloria Famæ,*
*Regnat & in mediis fatalis cædibus Hector.*
*Circumerrat repetendus Honos, & limina pulsat*
*Dedecori Virtus superanda, hic cætera dextræ*
*Gesta suæ oblitus, tali pro principe nolit*
*Esse Deus, memori sic mentem injuria versat,*
*Et dolor, & Vindicta sui sibi conscia ferri.*
*Hîc Agamemnonios nolit regale furoreis*
*Exprimere officium, læsi se injuria latè*
*Subiicit in populum Socii, victumque Tyrannum*
*Turpia sectari tandem malè fœdera cogit.*
*At prudens animi senior, cui nectare dulci*
*Eloquium, seclique acris Prudentia longi*

*Componunt*

*Componunt studia, & verum dant cernere verè.*
*Festinat furias componere mitis utrimque,*
*Damna procul ventura tuens; quocunq; Tyranni*
*Inclinant animum, populi Fortuna sequetur.*
*Impiger heic aliâ curâ succedit, Vlysses,*
*Non mare non metuens terræ discrimina mille*
*Vt post excisum redeat Sapientior hostem.*
*Cætera dißimulans, nulli parsurus, ut inter*
*Tercentum anfractus potiatur calle petito.*
*Cum tetigit, dans humani tum Exempla laboris,*
*Queis vigil ex aliis curis cura omnia vitæ*
*Consilia ad superi nutum componit Olympi.*
*Sic quocunque homines quodcunque etiam ordine quærant*
*Hæret & extremâ Mors ærumnabile meta*
*Solvit opus; miser ipse hoc altâ denique curâ*
*Ingenioque armisque, omni peregrinus in orbe,*
*Egit, ut adveniens patriam, succumbat amati*
*Crimine Telemachi; vel si cui fabula nato*
*Deterius favisse potest; felicior illo*
*Alcinous; vitam si censes fine beatam;*
*Heic aliud longè manes, Acherusia, monstrant,*
*Templa, viro patefacta gravi; ne, cætera pollens*
*Nesciret precium veræ, Sapientia, Vitæ.*
*Sed quid ego numeris vatum omnia dicta revolvam,*
*Vtile qui dulci cinno miscere salubri*
*A superis sumunt exempla; & sumta lepôre*
*Aßimilant vitiis, nec non virtutis amori,*
*Tristia longinqui monstranteis crimina finis,*
*Dant documenta, quid in vita ferat utile factum*
*Quid renuat, stolidi queis exsul opinio vulgi*
*Inque luto & tenebris pecuinum transigit ævum.*
*Ignarum quid sacra, libris inclusa vetustis,*

Sed

*Sub tenero dulcis umbramine corticis abdant.*
*Fabula quin etiam menteis solata popelli*
*Quadrupedum voceis in operta oracula ducit.*
*Phryx Sophiæ pollens semper florentis Amore*
*Hoc genus in mediis stitit admirabilis aulis.*
*Queis procul ambitio sceptris & regia sævi*
*Nobilitas luxus monitorem excludit amarum,*
*Irrepit suavi novitas grassata canore.*
*Dum stupet informi narrantem carmina rictu*
*Auditor vulpem, succusso fabula naso*
*Horrida seposuit vitia, exscripsitque notando.*
*Has inter nebulas, atq; hæc umbramina vatum,*
*Ingenium humanum numquam ulteriora secutum est,*
*Quam cum, sepositis ærumnis, carmine puro*
*Ad liquidi fontis ripas, nemorosaque Tempe,*
*Exsolvit mentem, & procul alta ex arce tueri*
*Adfectus hominum jussit, dare tempora blando*
*Aetheris intuitu, speculari & tradere seclis*
*Naturæque Deique opera, & Sapientia prisci*
*Temporis orsa sequi; multa quæ nube nepoteis*
*Fuscarunt, fuscantq; etiam. Diis proximus ille est*
*Quem nec cura coquit, nonquam satiata, tenendi,*
*Nec levis ambitio, nec inertis Gloria Famæ,*
*Nec se, Livor, edens, nec blandæ pompa Dionæ.*
*Nec Gula, nec morum Sophiæque, Lyæus, adulter.*
*Composita, sed mente frui mortalibus umbris,*
*Ut quæ sine brevi longissima vota refutent,*
*Se potuit sibimet salvo: non classica turbant*
*Sanguinis effrenem, non flabilis ardor honorum.*
*Huc veterum ducit melos insatiabile lectu,*
*Principibus quæ digna viris mysteria, dulci*
*Musa premit cithara. cui non exhausta supellex*

*Materiam dictis in dicta sequentibus addit,*
*Perpetuo versans rerum officia omnia cultu.*
*Pars Sophiæ è cælo, quam pectora, lucis aperta*
*Inscia, per rerum docuerunt Fata tenorem,*
*Immisere Diis Rationem, hinc orgia solvunt*
*Heroes digni seclis melioribus; Orpheus*
*Et Linus, & Musæus, Apolline digna locuti.*
*Quos cum densa cohors omni de gente sequantur*
*Nos trahit exemplis, eadem suasura Nepoti*
*Rectores cuncti populorum, hi legibus orbem*
*Excoluere novum, scita immortalia Iuris*
*Munivere gradu, quin post fata instar Olympi*
*In terris tenuere Deûm. Sacraria Musæ,*
*Astriferos orbeis cæli, florentia templa,*
*Mille oculis scripsere, iidem jecere Poetæ*
*Fundamen quo relligio subnixa Deorum*
*Constituitque urbes, hominesque in fœdera junxit.*
*At nunc nullus honos vatum, quia vivere cuncti*
*Ad Laudem spernunt, meritò quoque laudis honorem*
*Reiculum censent: vulgi deliria venum*
*Numina Pegasidum vilem expenduntur ob assem.*
*Ipsi etiam in triviis miserabile carmen inani*
*Prostituunt mentis sonitu, quæ maxima turba*
*Laudatas etiam cogit vilescere laurûs.*
*Vendibilis precio passim furor ille, Deorum*
*Concilians menteis, Phœbum dependit ad aurum.*
*Et titulos obolis tribus & genialia vittas*
*Munera designat: veniunt larvæ undique paucis*
*Emturæ famulas nummis cum pallade Musas.*
*Hinc mendicorum, divina poetica, præda est,*
*Vix Aula, admissam post longa proœmia ridet,*
*Hoc quoque grande putant pretium: non sancta vetustas*

*Censuit*

*Censuit hac normá. Sed enim stupidißima vulgo*
*Ambitio numeros mœstat, & omnibus ingens*
*In stabulis frenuit Antimachus, plauditq; Platoni*
*Ore rudi, sutâque tremit lacrymabile trama.*
*At quo vile magis vulgi studium exit in aures*
*Ponderis hoc majoris habent, queis corda reliquit*
*Turpis Avaritiæ barathro: Ratio illa probatæ*
*Certa rei est, populo si displicet: hæc data Divûm*
*Munere fata homini; quæcunque habet optima rerum*
*Ordo ruens in se, paucis rediere probata.*
*Tu sacra Ingenium Musæ gens aurea, secli*
*Relliquiæ veteris, serva stirps justa Deorum.*
*Quippe ubi laudandis superis scis esse creatam*
*Gentem hominum, reliquosq; vides secedere vorsim*
*Fine malo, solum data munia nosse Poetam,*
*Plausibus in Domini sua tempora decurrentem.*
*Macte viro ter macte canas! nec enim ipse pudicis*
*Abstineas plectris, sed carmen carmine pangens*
*Attonitas lasses Christi in præconia chordas.*
*Ipse ebur attrectare manu; dare cantibus ipse*
*Materiam coram verus cernetur Apollo.*
*Non qui dicta ciens obscura ænigmate denso,*
*Fabellis miseras deponat anilibus horas.*
*Sed summi facta alma Patris, sed funera Christi*
*In vitam devicta hominum, sed nuncia Vitæ*
*Cælestis canat acta Animæ; quam Spiritus ingens*
*In numeros servêre jubet: Tibi Gratia plenis*
*Descendet calathis, & mille vocabula Florum*
*Suavibus inverget dictis; tibi Martia cæli*
*Militia adferiet Melos, in superabile cantu.*
*Illicet ingressus patriæ penetralia lucis*
*Mortali cernes oculo sancta orgia, quorum*

*Devolat in terras operâ genitabilis Ordo*
*Naturæ; Pater ipse suis te laudibus ultrò*
*Adsciscet vatem, quem non transversa superbo*
*Turbine detorsit meta Fortunæ vagando.*
*Hæc tibi Musæi, princeps, sit cura Theatri,*
*Servet ubique modus dignum te Principe culmen.*
*At vetus Historiæ paribus te passibus æquor*
*Indugredi moneam: sine quâ densissima nubes*
*Præteritum omne premit. Quærunt præsentia fructum*
*Anteacto ex ævo, nec habent mortalia quicquam*
*Certius, adversæ veniant quo fulmina contrà*
*Sortis, & instabiles animos Ratione refrænent,*
*Quam tot gesta virûm mansura inducta papyro.*
*Quippe eadem toto diludit fabula mundo*
*Immutata parum personâ, sed immutata*
*Orbe redit patulo; scena una est, histrioque idem,*
*Gens eadem, casus idem, variabile saltim*
*Effigies alternat opus: nil fingere facto*
*Aut dictu valeas mirum invisumque, vetustis*
*Scripsit in exemplis nimium tibi Græcus eumdem*
*Aut Romanus homo: quod si omnia pendis ad unguem*
*Inter te priscis jurabis sæpè fuisse*
*Aut veteres nostri scivisse ante omnia fati*
*Sorte velut certâ præsagia, gnara futuri.*
*Nil varii casus, dubii nil circulus ævi*
*Ignotum mirumve parit si pendere justâ*
*Lance velis. Mores nostri, nostra ante parentum*
*Cura fuit; cupiere omnes, doluere vicissim,*
*Speravêre omnes, gavisi protenus omnes,*
*Adfectus misêre suos in corpora nostra.*
*Sol idem luxit proavis, idem humor Olympo*
*Descendit campis; pariter Luna aurea duxit*

*in men-*

*In menses gyrum breviorem, & sidera mater*
*Stirpibus instituit certis. Si corpora divûm*
*Stantque meantque suâ veteri Ratione, quis ausit*
*De nostris dubitare animis? Quis futile vinclum*
*Ignavi sollis cursu eximet, astra regente?*
*Cætera cuncta pari volvuntur momine, peccat*
*Aeternæ series uno stationis in isto,*
*Secla quod integris succedant turpia semper*
*Quoque magis descendit ad ulteriora rotæ vis*
*Hoc magis in fæces florentia tempora mersat.*
*Historia hæc numerat, hinc doctæ gloria chartæ*
*Eventus signare jubet, peccata per ævum*
*Mente notare domi, & cautum subeuntia pectus*
*Reiicere: in dubiis non desperare jubemur,*
*Non frontem in superos faustis obvertere rebus.*
*Temperiem, sed nosse gravem. Non calce jacentem*
*Opprimere; humani meminentem vivere Fati.*
*Crudeleis Furias componere: mitia longè*
*Corrigere imperia, & clementi incedere passu,*
*Non acie stricta funesto sanguine pasci,*
*Aut superum cultus enormi poscere fastu.*
*Hinc bello atque domi prudentia mitis in omneis*
*Fortificum firmat casus animum; atque futura*
*Ante videt, mala consiliis avertere pugnax;*
*Recta sequi; nec cum dubiis Victoria pinnis*
*Constitit hac; blando rationem infringere viru.*
*Rhetore quin etiam primis te nobilis annis*
*Disciplina vocat sub judice, discere fandi*
*Flexanimas leges; quod ferro Martia virtus*
*Non potuit, potuit sollers facundia quondam.*
*Tu seu bella geras, seu, fæta comtus oliva,*
*Palladiis pacem officiis moderere benignam;*

*Utile subsidium magnæ virtutis habebis,*
*Eloquii cognosse modos. Dominatur in omneis*
*Quippe palam Laurus felici fronde Minerva.*
*Virgineum retinens blando terrore Pudorem.*
*Linguarum quid sacra canam? propria illa catorum*
*Noticia est Regum; nec, cum vix cætera servet*
*Singula, in his peccat sceptrum modo nacta Potestas.*
*Utilitas quia magna patet: Peregrina juventus*
*Regia regna subit, vernat dum vividus ævo*
*Sanguis, ut externis linguarum comta nitelis*
*Responset titulis, nec in ægro interprete fidat.*
*At Latii te Cura prior, te Cura Pelasgi*
*O Iuvenis puerum sermonis amabile lumen*
*Edoceat, quæ longa ætas, quæ vertilis usus,*
*Erudiere Sophos ipso de fonte petenda*
*Conciliant gravitatem animo; generosus in illo*
*Ardor agit stimulos qui cum capere ipse Deorum*
*Arcanos poterit monitus, quo carmine dicti*
*Constiterunt seclis vice dedignatur inani*
*Ac velut elinguis peregrino discere ductu.*
*Nec gravis hic labor est; nec te data longa propinquis*
*Callibus avertant spatia, alto errore viantum.*
*Frigora non horum jejunaque dicta sequare,*
*Nec quæ perpetuis intextas Regula nugis*
*Aedificat nugas, ne delirante magistro,*
*Discipulus contrà sapientior exeat, ante*
*Triverit in fatuis sua quam sexennia burris.*
*Non opus est duris hæc ad mysteria libris;*
*Qui Latiam Grajamque ad normam exscribere linguas*
*Intenti, peccant odiis, interque sequentes*
*Principia abducunt à fine: tibi adstet ad unguem*
*Non vesano opicus crepitu de plebe magister,*

*Umbrarum*

*Vmbrarum fœdo adſpectu ſimulacra profeſſus,*
*Aut Stygio lurore ferox: ſed blandus amicâ*
*Qui jubeat gravitate, preces quoque jungat & aſtus*
*Liber homo ſtudiorum; Equitis qui munia mutet*
*Litterulis, aulæque omneis ſciat undique mores.*
*Hic brevibus tabulis leges exſcribet, & apto*
*Colloquio dabit ingentis ſuccreſcere ſenſim*
*Doctrinæ ſtudium; nunc ſuavi nectare liber*
*Hiſtoriæ ducentis opes, nunc fabula molleis*
*Irritet ſenſus, & picto margine libri*
*Inducant Sophiam, Si dedecuiſſe docentem*
*Ingenii cæleſtis apex ſua dogmata cernit*
*Exoſus pallentem hominem, mox torquet amaram*
*In velox odium mentem; periiſſe magiſtrum,*
*Et ſtolidas cupiat arteis: Tu diſcere luſu*
*Iucundo poteris; non intellectus amaror*
*Delicuit, dum paullatim Venus inſtat honeſto,*
*Inceditque animum & rerum bona ducit amore.*
*At cum trux oculis & barbarus ore piloſo*
*Orbilius rictu latrat furibundus amaro,*
*Inducunt torporem arteis à deſidis atrâ*
*Nube ſupercilii: Diſtorto lumine vecors*
*Inſiluit pluteis, perit improba turbine diro*
*Doctrinæ, nullo reparanda labore, Cupido.*
*Exeat hoc aulis genus ærumnabile, vitam*
*Exigat in lacrymis, & cum tuceta feroci*
*Contemnat ſtrepitu ſecum allia pallida rodat.*
*Interea ſenſim ſecreto in pectore crevit*
*Vis conſulta ſui: non jam lita propter amico*
*Melle leges veterum Sapientum docta reperta,*
*Sed grave ut ingenuum pollenti mente ſequatur*
*Egregiæ Rationis opus; communis in omneis*

S 3 *Vtilitas*

*Vtilitas populos venit à Rectore polito.*
*Cum sibi quisque domi sapiat, tu publica Mens es,*
*Cujus ad arbitrium Respublica floret, & inter*
*Civilis radios Regis sibi repperit ignem*
*Vivificum membris, unde alta Ecclesia cælo*
*Surgit, & humanis rebus favor auget ab alto.*
*Quod si præteritis ob notæ præmia caussæ*
*Regibus electi populi tibi sistere coram*
*Pollentem Sophiam Romana e stirpe jubebis,*
*Antoninus erit; non ulla potentia rerum*
*Felicem magis & magis est complexa decorum*
*Omnigenæ Doctrinæ animâ: Nunc aurea Grais*
*Scripta viri servant, vel, ne grave carmine secli*
*Dedecus obvelem, scriptorum fragmina, magni*
*Naufragii ut tabulas Neptuni poste refixas.*
*Proximus hic superis princeps, sua vota secutus,*
*Exscribit sanctas leges; quibus omnia paucis*
*Complexus, regalem animum deducit Olympo,*
*Instruit officiis periturae, & munia vitæ*
*Proponit speculo, vitiis infestus, amator*
*Virtutis solidæ, sollers contemtor honorum,*
*Non tamen ut fato sese subducat agenti;*
*Sed minimum in terris, superos quem ducere dictat,*
*Deserere ingratum & sceleratum exire fatetur*
*Ante manum Domini revocantis: eam ille sequendo,*
*Dedignatur opes aut cari pignora lecti*
*Respicere, & stolido gemitum torquere furore.*
*Omnia quin fugitiva videns vice volvere curta*
*Orbem ævi humani, non brachia dirigit amens*
*Torrentem contrà, nec sese edit ipse obeuntem,*
*Nempe docens, quodcunque dolor tibi flebile fingat*
*Si prius è sensu non mollis Opinio cedat,*

*Nil jam tristificum dici vel posse putari;*
*Quippe tui cum sis Dominus, non membra, nec ægræ*
*Fortunæ rota, nec vano data Gloria fumo*
*Constituant hominem, verum intus in abdita servet*
*Corda ANIMA imperium, quam vere dicere possis*
*Verum hominem; quæ nulla pati deliria, cum se*
*Iusserit à virtute, volant ludibria longe*
*Corporis, externo rerum permissa tumultu.*
*At mentem indocilem cogi non ignea tæda,*
*Non ferrum, non turbo rapit glacialis: ab arce*
*Tuta sua insanos spectat frendere tyrannos;*
*Hanc procul invidiæ virosa Calumnia nutrix*
*Lædere cum cupiat, contingere perfidia nescit.*
*Sphæra velut facili cum ductilis orbe rotundam*
*Exiit in speciem, perfecta mobilis in se*
*Mole redit: Sophiæ sic mens Ratione polita*
*Et numeros jam docta suos, se volvere gestit*
*In sua principia, & speculando educere formas*
*Vnde Honor invitæ subeat virtutis amator,*
*Interibi secura, externo tuta tumultu.*
*Sic adeo indignum cense qui nullius unquam*
*Quæsieris pallens infesta bile, dolorem,*
*Te te ut edas animi, tibi tu cum nobilis exstes,*
*Hacque omnes alii vivant sub lege, quid erro*
*Improbus à te ipso sceleratà exordia ducis?*
*Te quocunque trahat fatum, tibi principe consta*
*Consilio; Natura hominem cum vivere jussit*
*Nec sortem excepit dubium; si qua ulla putanda est,*
*Nec planctum instituit contra sua jura rebellem.*
*Vive ut homo, nec perde datæ stationis honorem;*
*Est honor in statione data quacunque potiris.*
*Nam pater excelsa è specula vitam ipse gubernat*

 Conditor

*Conditor altricis Naturæ; inque ordine mundi*
*Totius ad firmam facto, te jussit in istô*
*Personam servare loco: quid frangere leges*
*Vnus abis? cerne innumeris animalia formis,*
*Oceani & telluris Heræ per munera certant.*
*Singula more suo vivunt, sua quodque facessit*
*Officia, haud angens curis mortalibus ævum.*
*Ipsa levem volucri tranans avis aëra tractu*
*Vivere ubique potens, fixâ sese arbore servat,*
*Propter opus cui Vita data est; nempe æthera blando*
*Plaudere remigio, melos altum iterare per auras,*
*Et prolem simili conspectam inducere formâ.*
*Millia tot facie imparili, tot munere agendi*
*Distinctos recolunt cultus; Sua quodque theatro*
*Exigit in magno officia, & spem fronte serenat.*
*Tu cui principium est in cætera, turbidus instes*
*Nescio quas lacrymas inamanæ opponere sorti?*
*Siste pudore gradum, teque in tua fata secutus*
*Dedignare animum malegratô innectere vinclo,*
*Vt desis mundo: Si turpis Opinio quicquam*
*Percellit procul ostentans, te protenus ipsum*
*Ingredere, hîc pretium rerum prælustre videbis.*
*Quod si multa tibi censes malesuasus, abesse,*
*Num nam animum idcirco quisquam te rodere cogit?*
*Aut te sponte premis? si sponte, absistere capto*
*Nempe tuum est, quia nempe potes. Si deesse putabis*
*Vnum aliquid, quam multa unum sine lege sequuntur,*
*Quæ poteris numquam, cupias licet, omnia habere!*
*Denique quis finis datur æterno inde dolori*
*Vnde nequis satiare animum? Quod condita cuncta*
*Si caussâ vis esse tuâ, quin utere cunctis*
*Queis potis es, quæ nec potis es, desiste morari,*

Nempe

*Nempe sub alterius regnum cessere fruenda:*
*Vsus in incerto rerum est; quamplurima rident*
*Suavivido adfectus ducentia lumine nostros,*
*Quæ cum prensa tenemus, in his inamabile lethum*
*Inviti, ignari, sequimur; quæ fata negarunt*
*Hoc tibi fine negant, ne per quæ vivere tendis*
*His pereas: caussæ densa sub nocte recedunt,*
*Perniciem cæci sub vitæ inhiamus Amore.*
*Nil quod secla bonum censent mortalia, possunt*
*Veridicâ firmare bonum ratione: nisi unum,*
*Atheriæ studium Doctrinæ, Animæque salutem.*
*Nempe vides cupidos ut multos pestis honorum*
*Subruat ambitio; quis Honoris gaudia dicat*
*Esse boni bona, cum pereat qui prendere tentet?*
*Divitias cupidâ qui totus mente sequetur*
*Propter eas mille informis subit ostia lethi.*
*Sic amor & molli vestita lepôre Voluptas*
*Exspoliant, vitamque opibus, famamque decore,*
*Et grave deponunt blando incantamine corpus.*
*Fama quid ulterius quam parvo in circite terræ*
*Vix benè nomen habet? non hoc te in busta sequetur,*
*Heredem ingratum: quid quod paucissima recto*
*Gens hominum sermone oblectat tædia vitæ,*
*Maxima pars nescit fœdo discernere pulcrum.*
*Cætera sic hominum toto volitantia mundo*
*Vota subitjunctimque & singula abire videbis*
*In cassum, nec fine rato fugitiva teneri,*
*Sola venit Pietas tandem, quæ nube reductâ*
*Res, Studia, Adfectus, Famam, Virtutis Honores,*
*Dirigat ad normam rectæ Rationis; & inter*
*Palanteis turbas templum insuperabile seclis*
*Purgatæ ædificet menti; quod marmora circum*

S 5 Sæva

*Sæva fremant, ventique, & dirâ in nocte procellæ;*
*Insidiæ, Invidiæque lues, atque ambitus excors.*
*Sed firmum fixâ constat cum rupe sacellum*
*Compositi affectus, nil monstra immania Victor*
*Curat homo; sed flore suo se absolvit in orbem.*
*Hæc monet, &, celeri per singula mente vagatus,*
*Diducit, laxatque foris sanctissimus Heros,*
*Romani columen sceptri, verissima divûm*
*Progenies, Bello, sophiæque invictus ab armis,*
*Autumnus, agens Rationem ad momina vitæ,*
*Vitam adeo redigens sacræ Rationis ad augmen.*
*His te, Magne Deum sanguis, monuisse decorum est*
*Orsa sequi Romana viri, ducentia clarè*
*Omnigenæ per scita, sacram Virtutis ad arcem.*
*Sta tuo in officio, monstret Clementia mores*
*Compositi adfectus, animi Regina serent.*
*Esse metus, luxusque, procul; præstetque verendum*
*Iustitiæ Lanx sancta coli; prima ordia cujus*
*Imbibere à primis annis, regale piorum*
*Ornamentum operum est: Quicquid docet omnis in unum*
*Apta locum Virtus per scita inditque papyro,*
*Iustitiæ in commune bonum tutela resignat.*
*Scilicet in genere humano qui vivere honestè*
*Iusque cuique suum novit dare, neminis ævum*
*Degere cum questu, dein sceptra potentia gestat,*
*Vt vires armata trahat lex vindice ferro,*
*Vt scelus in pœnam vocet ultor; & integra constent*
*Præmia castorum meritis; Sapientia quicquid*
*Concredit chartis, profert huc commodius usu.*
*Vt nec inops jaceat Probitas, nec inertia surgat*
*Divitiis, sed justa pari moderamine libra*
*Dividat æquatum generoso Examine verum;*

*Nec tamen errores nullos patiuntur amici*
*Divorum in terris: Qui sponte excedere metam*
*Festinat; duræque æquat sua crimina Legi,*
*Hunc premit in noxam majori à principe Lictor.*
*Est aliquid Regem esse sui: tum cætera morum*
*Succedunt decora, & Sors arbitrio ipsa moretur,*
*Cum peccare cavet, sibi qui ipse ignoscere sese*
*Posse putat, nec terrifico ad bona cogitur ense.*
*Sed quid ego longis pandam tibi singula dictis,*
*Cui Leo dudum alacer dixit, Clementia victrix*
*Quid jubeat, quo stet armata Potentia ferro.*
*Nunc adeò magno ex opere hæc libamus ad aras*
*Iustitiæ; dum Solis equi per sidera Caprum*
*Ritè legunt; Regale astrum, cui credita florent*
*Sceptra diu; nunc alta vocant Prætoria mundi.*
*Spesque adigit currum, cui cuncta volubilis undæ*
*Effigie effundens dominatur. Aquarius Augur.*
*Fors aliqui effusis laxantem fræna Camoenis*
*Corripient dictis, Pars ordinis intima longi*
*Ambiguo scrutata animo, pars carmine molli*
*Derextas res ingenteis damnare perita.*
*Omnibus his Ratio cum sedet nostra videndam.*
*Et verbis & mente Operum laudanda; nec ordo*
*Peccet ab ingressu, precor ut rudia orgia servent*
*Pieridum; meliore ipsi dum sidere nati*
*Excudent facili carnem Regale moneta.*
*Tum demum, amplexi manibus mysteria divûm,*
*Non bene dicta malo mutabimus ordine; totâ*
*Mente sed in laudeis effusi; ingentia vatum*
*Nomina perpetuo cultu mactabimus, inter*
*Regna vetustorum, numquam temeranda, Sofoum.*
*Da, PATER, hæc bona dicta legant meliora secuti*

*Sceptra*

*Sceptrigeri juvencis, ut culta Modestia claris*
*Artibus excludat crudelia cœpta: feroxque*
*Ingenium placidis Sophiæ subsidat habenis.*
*Ille Caput fastu ut Procerum Sapientia cœlo*
*Elevet, & merito tandem juvenescat honore.*
*Cum qua Temperies det secula mitis ab auro,*
*Concordent studijs Reges, pretioque renato*
*Virtutum, Vitij decrescat opinio contra*
*Fasque piumque furens. Vt Vitæ Exempla futuræ*
*Vivamus tecum in terris; ut Scorpius horrens*
*Incassum facinus vacuis meditetur Avernis.*
*Et tua se legio sub versicoloribus alis*
*Quadruplicis Seraphim patrio cita sistat Olympo.*

FINIS CAPRICORNI.

C. BARTHI

# ZODIACI VITÆ CHRISTIANÆ.

## LIBER XI.

### *QVI ET AQVARIVS.*

SPES ævi domitrix, sata virgo faventibus astris
*Mortaleis super æthereos dare Numinis orbes*
*Participes, nihilumque docens arcana morari*
*Omnia subter edentis iniquo, Temporis, æstu:*
*Virgo æterna animi, quæ non visa altre sensu*

Præ-

*Præcipis ante oculos, rerumque in imagine gignis*
*Res, nondum in dias prognatas luminis oras.*
*Sola Prometheis hominem mansura Deabus*
*Ereptisque fugâ & patrium super æthera vectis.*
*Tu numquam exosæ currum comitata curulem*
*Fortunæ, miseros atroci in nocte relinquis.*
*Fida comes cum Pauperies inimica subhastat*
*Divitijs adsuetum animum, varoque deorsum*
*Impete cœlestis raptat sacraria Formæ.*
*Quid, tibi cum sapiens sit cætera cultus in ipsâ*
*Mente animi, nec corporeis tenearis habenis,*
*Sæpè caduca rapis spretis cœlestibus audax*
*Pone sequi? nec finem altè comprendere fixo*
*Hærentem intuitu, quæ cum mortalia dicas*
*Ipso adeo ex usu & pretio, quod nomina monstrant,*
*Diffiteare tibi data? cum brevis illicet hæres*
*Hæredi immineat; premitur successor iniquo*
*Successore rapax: ceu fonte effusa, perenni*
*Unda super fusam venit undam, atque agmine denso*
*Succedens sibimet, premat & sine fine sequatur.*
*Quam tibi de cœlo formam, qui proximus exit*
*Supremo vatis studio, levat arbiter urnæ*
*Perpetuum laticem per flammea sidera volvens.*
*Scilicet ut roseâ pollens ætate Iuventus*
*Immissis lato in campo spatiatur habenis,*
*Ordine neglecto, nisi quem dat futilis error,*
*In vitium præceps, insueta monentibus aurem*
*Inclinare procul, quam mens rapit effera quicquid*
*Dia Venus blandoque jubet puer ore Cupido.*
*Stat juxtà lacrymans & cano vertice pallet*
*Segnis avus manuum, maturo sobrius ævo,*
*Usibus edoctum longis quem serior ætas*

Edocuit

*Edocuit precio rem quamque exscribere vero.*
*Intereà volucrem testans procedere currum*
*Annorum, longeque dies exire protervos.*
*Nec retinere usquam, sed flumine currere prono*
*Ad metam, cui Mors, custos inamabilis, hæret,*
*Omnia præteritæ delens commercia Vitæ.*
*Vt fumi nubes cava per quasi labitur Eurum*
*Momentoque perit, nec jam pote tangere visum.*
*Hanc avus Historiam longis ambagibus orsus*
*Cœlesti ex aulâ, quam regnat Aquarius augur,*
*Deducit puero & per mille exempla figurat*
*Spes sequitur generosa senem; nec, mortis acerba*
*Subjectam imperio, vitam dignatur honore*
*Cœlestis Sophiæ; cum jam nec vita caduca*
*Nec mors usquam aderit, sed secula juncta tenore*
*Perpetuô seclis, nullo temeranda tumultu,*
*Labentur, nec lapsa tamen decedere quibunt.*
*Vita nova exorietur, avis prædicta vetustis,*
*Vita sine interitu: Nam quæ nec perpete digna est*
*Nomine, vita nequit dici; cum transitus horæ*
*Deleat hanc, morsque ipsa etiam perimendo necetur,*
*Vt sit massa nihil quæ credita vivere quondam*
*Floruit ut prato flos pictus, ab alite vento*
*Deruitur, nec deinde sui memor aret in ignem.*
*Sic hominem quem jam esse putas, sua poscit in horam*
*Condicio; quod fumus edax in corpore passus*
*Subsedisse levi, vorat aura, voracior igni.*
*In nihilum redigens patrium modo florida membra.*
*Nempe quod in proprios stirps debita quæque recurrat*
*Intereundo ortus, finemque ab origine ducat.*
*Illa igitur vero quæ nomine vita vocanda est*
*Divinis monitis sacræ patefacta cohorti,*
*Finis erit vacua, & quamvis inceperit olim* Non

*Non umquam subitura ullo sub tempore finem,*
*Nam neque tempus erit, nec finis in ordia pugnax.*
*Atque hujus cum principium exorietur ab altis*
*Spiritibus Domini, prono cum circite Tempus*
*Morsque atrox, ipsumque Nihil cum Fine peribunt*
*Cujus in interitu Interitus simul omnis obibit.*
*Omnia nam Domini castis erit Halitus, in quo*
*Perpetuam ducent vitam, nec floris aprici*
*Tempestas metuenda aderit, nubesve nitori.*
*Sed circumamplectens ipse auctor amabilis in se*
*Omnia donabit vivis concentibus, & per*
*Harmoniam æternam secla in secla undique volvet.*
*Ut levis in nullo stat fine notabilis orbis*
*Undique se absolvens, & prima in puncta recurrens.*
*Talis erit tum vita virûm: sta ducere signa*
*Cœlestis Sophiæ, Spes intemerabilis ævo.*
*Ultimus ut rerum finis, quem cuncta laborant*
*Prendere, tranquilli est animi generosa Voluptas,*
*Omnia sic current votorum millia in unum,*
*Gaudiaque æterno non exsaturanda tenore*
*Absolvent orbem faustæ super omnia Vitæ.*
*Nec nova quæ veteri succedent mœnia mundo,*
*Finem ullum metuent, vel cæco in fine latebunt.*
*Sed super omne loci punctum, spaciumque, rotamque*
*Temporis, in proprio florebunt omnia seclo:*
*Omnipotens hæc dona piis intermina monstrat*
*Spe genitrice docens animum comprendere, quæ mens*
*Nulla potest, Spes dia lacit præcordia cœlo,*
*Quæque vides, docet esse nihil, sed vota sorori*
*Credere, quæ Fidei sortita vocabula celso*
*Stans animo, legit æthereæ præcermina Lucis,*
*Inque futurorum pascit præsentia cultu,*

Impo-

*Imponitque pedem mundi variabilis orbi,*
*Seculaque,fluviumque caduci temporis unâ*
*Calce domans: Caput extrà omnes levat ardua nubes*
*Quemque nequit Dominum comprendere acumine mentis*
*Spe videt in cupidâ & sperando gaudia visi*
*Præcipit; atque altum credendo exscendit Olympum.*
*Cui sua ne desit Ratio, Rationis in acris*
*Verba locum domini subeunt; qui voce creavit*
*Omnia de nihilo, cui testes omnia cernis*
*Condita quæ radijs circum rota currit aperta.*
*Omnia posse, Pater, blandâ nos voce,caducæ*
*Affixo vitæ spe.ducit ad alta superbâ.*
*Huncque omnem flammis orbem delere professus*
*Tempora cum jusso stabunt rata fine viandi:*
*Spondet ab igne rudi,nihilique ex germine nullo*
*Ipsa reducturum quæ vivere corpora coram*
*Quisque videt; dare jura fidem Ratioque fatentur*
*Omnipotenti operum Regi : qui condere cuncta*
*Ex nihilo potuit, valet instaurare peremta.*
*Quippe minor reparare labor quam condere vero est.*
*Quod neque si Ratio nos duceret ulla videnteis*
*Clauso adeo obtutu docili Pietate sequamur*
*Dicta tamen Domini; qui cum verum ipse sit ipsum*
*Fallere non poterit, nec fallere caussa profecto*
*Ulla jubet miseros, quos ipse abscondere sensus*
*Et tua Fata sequi & spem auctori affigere mandat.*
*Ipse ipsa est Pietas; ipsa est Clementia,quæ non*
*Vita uti possideat voluit, volucrisque, brevisque,*
*Seposuit; casteque ut vivere cogeret omnes*
*Præmia proposuit, pœnis mala terruit ausa.*
*Utraque quæ æternis hærent immota catenis.*
*Nec minus in scelerum perpes Vindicta luelas*

Omn-

*Omnividuni implorat Lumen. Sæpè aspera calli*
*Difficili evasit Pietas, cum florida prati*
*Per spacia incedat lepido Violentia gressu,*
*Sic meritum occultis premit alta ambagibus augmen*
*Pœna morâ, duplicatque graveis ducendo reatus.*
*Vota levant pravos animi, quos Gloria, Fama,*
*Nobilitas, & Opes, conspectaque Gratia fandi*
*Et procerum Favor & Regum Elementia pernix*
*Iuxtà sede locant à primâ luce secundâ.*
*Exsulat intereà Probitas, contemtaque friget,*
*Simplicitas, tumidi quam calcavere tyranni,*
*Vixque oculo oblinno dignatur Inertia regnans;*
*At Pater Omnipotens fragiles contemnere curas*
*Instabilis vitæ fixam jubet æthere mentem;*
*Illa sacris lacrymis animum collecta decorum*
*Sementem locat egregiam moderantibus astris.*
*Vt cum messe suâ plenus Ceres ingruet arvis*
*Centuplici stipent florenteis fœnore culmos*
*Horrea: In hoc omnis ratio Pietatis amatæ*
*Vertitur, & fausto pensat mala fine pericla.*
*Munere quod Domini non ad præsentia flectat*
*Regna oculos, nec peste gravi ruat obruta morum,*
*Gnara caducarum quam sit leve Gloria rerum*
*Ludibrium ætatis curtæ: Spes ardua coram*
*Et longinqua videt; sed quæ longinqua putabis*
*Quæ modo cum videas certâ spe, protenus instent*
*Perpetuis cumulata bonis? Cum tristis ègestas*
*Et breve quod spacium mortalibus addere visa est*
*Corripiat; præsens cum nil nisi frivola dicas*
*Momenti unius redeuntia puncta per orbem,*
*Præteritum faciat nihil ad te, nulla futuri*
*Sponsio certa sit, & pereant præsentia visu.*

*Vt sua, & in dulci posuit punctum omne quiete,*
*Quam tamen effrænis cohiberi, & barbara saltu*
*Involat exsangui, monitrix, Mors, impotis Auræ,*
*Ire retro, aut proferre pedem trans candida calcis.*
*Hic fletit humani Ratio superata Leporis,*
*Et procul anteacti cernens deliria cursûs,*
*Desinit incassum trepidos speculata tumultus.*
*Scilicet haud umquam suæ originis intima quivit*
*Mens hominum sine luce sequi, quam desuper ingens*
*Demisit cœlo Pater, atque in fine dierum*
*Occultam seclis jußit prodire nitelam.*
*Sed varis gradibus nunc huc, nunc mobilis illuc*
*Hæsit, & ingratâ necquicquam à nocte revulsa*
*Semper in alterius de se discesßit amorem.*
*Pars etenim in studijs Famæ senuisse decorum*
*Censuit, & populi credens volitantibus umbris*
*Fortunæ ingenium, servire potentibus aulæ*
*Et sceptris voluit converso jure jubere.*
*Pars studijs Sofiæ tranquillo in pacis Amore*
*Delituit, spretisque omni cum rebus honore*
*Frigidulas umbras calida pro luce secuta est.*
*Pars procul ignoti pellens male numen honesti*
*Incubuit gazis & reddita pauper habendo*
*Gaudia vesano posuit bacchanda Nepoti.*
*Nec non Luxus edax, nec non Mars efferus armis*
*Nec non blanda Venus multorum ingloria mersit*
*Vota solo, cæcosque, imâ cum plebe magistros*
*Abripuit; Generosa alio violentia passu*
*Sanguinis in stimulos egit pro peste tyrannos.*
*Nec tamen ullius superest Sapientia mortis*
*Extremæ titulis Dominæ; licet ardua quidam*
*Tentarint capita arcanis extollere metis,*

 Sic

*Sic scripsere tamen, rivos ut fonte secuti*
*E gracili, quem cum nullo vidisse labore*
*Nec foret accessisse datum, rediere furenteis,*
*Pars etiam meliore animo pia vota dicarunt*
*Non audita tamen, via cum foret unica longè*
*Ignorata viris: viderunt carmine vates*
*Purpureo manes, & condita Tartara Pœnis.*
*Sed confusa acies vix primi dicta parentis*
*Per tenebras potuit cognoscere: nemo futuri*
*Inductis à nebulis potuit secernere numen.*
*Casta incesta uno saltata est fabula socco.*
*Et studio vitæ præsentis ad omnia capti*
*Excessere via, quam nec tetigere secuti.*
*Multo adeò minus æternis stata præmia metis*
*Olfecêre primi: Quæ cum sint prodita nobis*
*Teste sub æterno: quæ jam violentia possit*
*Immemores lucis tenebris damnare caducis?*
*Temporis hæc Rota quæ rapido revoluta recursu*
*Momini unius est decies mutata ruina*
*Nil penitus, nihilo minimò minus, minus minimo minore est,*
*Nam cum transactis succedent secula seclis*
*Aeternum sortita diem; quis temporis hujus*
*Quo poterit meminisse modo? Fuga fumea nubis*
*Vita volat, Sonus, Vmbra, Nihil: velut ille sagittæ*
*Pernicis Rector, dum fixæ ad fulgura parmæ*
*Pennipotens adigit telum, spacia inter utrumque*
*Se Clypeumque nihil putat esse volucribus àlis.*
*Sic bene principium Vitæ nos cernere verum est*
*Altaque perspicuo sub fine hærentia puncta,*
*Ipsa tamen Vitæ spacia ignea transfigit ictu*
*Momenti unius rapidæ fuga mobilis horæ.*
*Fulgur ut e summis excussum nubibus inter*

*Terramque tractusque poli vidisse videmur,*
*Dumque videmur, abisse fatemur; ita ignea transit*
*Vita leveis oculos perstringens præpete cursu.*
*Vt ratis è portu pelagus cum nacta profundum*
*Incubuit furijs ponti, atque ablata per Austros*
*Transijt; in cano visa est sale semita labi*
*Visaque dum labi est oculos elapsa fefellit,*
*Carcere sic producta suo, dum prodiga magnis*
*Indulget spacijs, quædam Vita esse videtur,*
*Aptaque cernenti vestigia condere passu.*
*At leve dum mentis redijt volitantis acumen*
*Ipsa perIt, procul ipsa perIt quoque semita Vitæ.*
*Aeris ut vacui vox incitat improba motum*
*Et sonitu adstantum transit perniciter aures.*
*Sic genus humanum, cujus modo corpora præsto*
*Esse putas, cecidere, & Vita incognita fugit.*
*Quod si quem usqueadeo delectat amabilis error*
*Vt levis in plantæ cursu putet esse quod inter*
*Egregias ævi curas sit ritè locandum,*
*Dispiciat, quæ fœda trahat de momine parvo*
*Corporis infirmi, nullo stata tempore, cura.*
*Quodque Epulis spacium, quod somno tradat inerti*
*Quodque suum admirans animum, dum futile rerum*
*Aestimat, & precio malesanum vendit amorem,*
*Deinde aliquos canat esse dies, quorum unus in omni est,*
*Omneis unius netrix Dea dissicat horis.*
*Summa venit miranda viris Sapientia dicti*
*Hujus in ingenio: Vana omnia Sole sub almo*
*Clamat, jo, vana esse, & jo, Sapientia, clamat.*
*Futilis ut pluvia subter labante revulsus*
*Procubuit terra paries, quoi debile fulcit*
*Fundamenta lutum; nullo sibi certa sub ictu*

*Flagran-*

*Flagrantis radij, modo, Vita, volubilis errat*
*Acta procul, cum se ipsa putat; modo prona retrorsum*
*Subruitur, perditque loci vestigia casu.*
*Arboribus sua puniceo cum vere juventas*
*Longá lege redit, folijs & fructibus æstas*
*Dedecores pridem frutices animabit, & atra*
*Innumerores brumæ redivivo comet honore.*
*Mortua, cumq; ipso jam tabida, Hirundo, sepulcro*
*Exscendit tumulum, postliminioque reversa est.*
*Ales ab Eois gratißima vertitur Indis*
*Littus ad Europæ, cum blando verna tepore*
*Incaluit Venus, & lætum aera duxit Aprilis.*
*Ast hominis devicta annis volventibus ætas*
*Consenuit semel, atque hyemi data serva profunda est.*
*Quam pater adposuit labem mortalibus, ut ne*
*Spes vitæ fragilis, flosque improbus iret in alti*
*Ludibrium fastus, & vota necaret alendo.*
*Nos tamen adversis contrà fata aspera ducti*
*Illecebris, quos Vita fugit dum creditur, inter*
*Quottidiana malis augmenta furentia diris*
*Pestiferæ labis proni ad terrestria visu*
*Cœlesteis premimus mentes, sapimusque caducum.*
*Omnia quæ patimur contrà se quisque ruendo*
*Quod quæ vera bona, & verum infucata tumultu*
*Aethereas spirent auras, incognita cedant*
*Qui rudis in stadium prono de carcere Ladas*
*Mittitur, in spacijs labrum non quærit apertis,*
*Sed procul erectas festinat prendere metas,*
*Alite remigio cursus, nec turbida multo*
*Scena sono aut cavea vulgi fremor actus ab alta*
*In declive, premit properantem ad candida calcis.*
*Ille nec in socios oculum deflexit anhelo*

*Pone*

*Pone secuturos cursu, sed fortior instat*
*Antevolans studijs agmen prævortere magnus.*
*Alma micat suprà dubijs Victoria pinnis,*
*Quoi cedat, quem diva virum non sponte sequatur.*
*Ad latus egregio, non futilis arbitra, plausu*
*Incitat, æternum spondens bona Gloria, nomen.*
*Nec Labor insudans operi devertere pectus*
*Nobile habet, volat icta alacri mens laudis amore,*
*Seque ipsam accenso pede præterit ignea Virtus,*
*Talis ubi in stadium vitæ ærumnabile primum*
*Ingreditur mortalis homo, cui turbida cunis*
*Imminet in primis Sortis soror improba Sciren*
*Luxuriæ, lassatque oculos ante ordia cursus*
*Præpingens animo, quanto quærenda labore*
*Sit via per vitam, quanto calcanda dolore,*
*Instabilisque ævi & rerum raptante tumultu,*
*Ausa virum nec dum, nec primo robore firmum*
*Terrifica specie vero devertere cultu*
*In latus, & Stygijs prodendum exponere monstris,*
*Quod felix monitis si non, puer, invidet aurem*
*Virtutis solidæ, stadiumque ingressus, amaras*
*Necquicquam, irridet Furias, nec fortia lassat*
*Brachia, torrentem contrà connisus anhelum,*
*Nunc miserum turbat turbæ clamore furentis*
*In scelus; inque rosis & molli indagine festæ*
*Orgia versantem Veneris Bacchique catervam*
*Monstrat, ea infami tenerum deperdita luxu*
*Desuper è caveæ ridet sudantis acerbo*
*Simplicitatem animo, seque in mala colligit arma,*
*Inque sodalitium melius (Deus auferat omen)*
*Attrahere infesto studet à ratione cachino.*
*Intereà cursu multos torpescere cernit*

 *Et pro-*

*Et procul exstantis metæ contemnere cornu.*
*Antevolantem alium fessis considere membris,*
*Exemplum lethi obyciet vafer hostis amari*
*Quod si mille dolos & non superabile dictu*
*Artificis studium veteris Dijs exijt æquis,*
*Ipsam adeò ex oculis metam pellacia raptat,*
*Deponitque procul: fixo tu lumine serva*
*Principio à primo ad calcis confinia summæ,*
*Egregiam domitricem animi mutabilis, alta*
*Luce coruscantem, famulam SPEM mentis Olympo.*
*Illa nihil socios, nil vulgi fœda moratur*
*Blanditijs infecta malis, retinacula vitæ,*
*Spem Domini dictis, SPEM sanctæ trade novandam,*
*Quotidiè Fidei, puro ceu semine creta est,*
*Cœlestis Sophiæ; nec sint tibi Curæ ferocis*
*Quisquiliæ larvæ, quæ Christi altaria dirâ*
*Sede premunt jactatque Vicaria jura remoti,*
*Sta Domini monitis; satis est tibi maximus auctor*
*In vitamque potens, & pronus mente benigna.*
*Interea fructus ne sperne orientis Olympo*
*Iungendos Fidei; vocat huc bona Gratia cultu,*
*Ille Amor est, quem cum tradit tibi Christus, in omnes*
*Sanctum homines servare jubet; nec lædere nullum*
*Hic satis est, dare jura etiam, moresque malignos*
*Truncare decet, monituque instare severo.*
*Nec tamen obliquâ in latus intremuisse ruina*
*Et fœdam Charitum trigæ miscere Dionam.*
*Casta docent Superi; castis altaria divûm*
*Ornantur manibus; nihil est acceptius alto*
*Quam quæ mente jubet sacros accendere cultus.*
*Nec tibi Relligio precio venalis honorum*
*Prostituat sacræ legis mysteria censu*

Cum

*Cum primum in sanctis conspecta Pecunia traxit*
*Florentis adytis animos ad vota diurna.*
*Erubuit pietas; mox cum reparabilis auro*
*Nil non ausa mali probitas devicta metallo est*
*Diva polum repetit; raro videre reversam*
*Indigetes terræ, nisi cum distincta profanas*
*Relligio seclusit opes; nec vendita lucri*
*Invasit speciem, sub iniquo tegmine cura*
*Salvifici verbi. Cum primum è sede reducta*
*Adscriptâ Domini ex adytis Opulentia cessit.*
*Officiique memor rediit sub jura Sacerdos*
*Emaculatum orbem pietas dignata redire est.*
*Nec tantum ignavis indulsit Opinio mystis*
*Nomine uti sancto possent, quodcunque liberet,*
*Dira superstitio paullatim exscendit ab imâ*
*Plebe animos procerum, nil rectè posse negari*
*Sacrificis, donec celsâ tamdem arce potita*
*Excussit soliis reges, terrestria porrò*
*Omnia calcavit pedibus, quibus oscula proni*
*Induperatoreis, florentes Marte Togáque*
*Imprimerent, magno pro munere nempe potiti.*
*Nec potuit benè cælesti se sistere in aula*
*Quin super enormi levis ambitione volaret.*
*Ipsisque è tabulis Domini mandata profanis*
*Eradens digitis sua somnia traderet inter*
*Mille dolos populis, & vertice torva tiaram*
*Sublimi triplicem gereret pro Numine trino.*
*Non hæc sancta viris umquam cum mente fuerunt,*
*Temporibus, sed pressa malis mirabile Christi*
*Consilium arcanis subiit spes debita fatis.*
*Ut tamdem claro florentior ore niteret.*
*Simplicitas vitæ dux est generosa, caducæ*

*Somnia quæ Sophia nullo dignatur amore,*
*Sed procul intuitu bona perpetuantia fixo*
*Mente legens placidâ, ridet, cum Gloria vanis*
*Artibus intumuit, cristis caput alta superbis,*
*Seposuit cordata fides Sapientia quicquid*
*Dia jubet, hanc luce sequi atque hanc nocte laborat.*
*Nil etiam in diis audens sine principe jussu*
*Omnipotentis heri: parcit sibi cætera virtus,*
*Et vitæ æthereæ sensus submittit Amori.*
*Felix quæ numquam trivit consortia fontum*
*Non iter Erronum tenuit, nec falsa malorum*
*In joca consensit, sed simplice condita cultu*
*Secum abiit in vota suâ atque irrisâ recessit.*
*Illius Domini Leges noctesque diesque*
*Pura colet manus, & mens tota habitabit in illis.*
*Nobilis in ripâ ceu consita fluminis arbor*
*Non ventis folia aut senio deponit honorem,*
*Ver placidum toto trahit inviolabilis anno:*
*Talia nulla salax sperabit fata cachinno*
*Sed velut impulsus Boreâ vacuum æthera circum*
*Vexatur pulvis, sublatus agente procellâ*
*Spargetur cœptis, mille in fragmenta peribit,*
*Nec locus agnoscet tumidi modo regna tyranni.*
*Hæc vera est, fucata malis Sapientia numquam*
*Artibus, à primo, sed mundi orientis agone*
*Ducta piis mansit, mansuraque perpete passu*
*Transibit fatum omne procul: quæ machina cælo*
*Fixa volat, diribitque Elementis quattuor Orbem*
*Fine suo casura hæret: nihil omnis in omni*
*Mundus habet virtute, quod insuperabile torrens*
*Non adedat atque ævum & rota Temporis ardua verset.*
*Donec in antiquum redigat nihil: Una piorum*

*Mente Dei ſtabilem firmat ſententia ſedes*
*Tempore non temeranda, nec interitura ſub ævo.*
*Hác Pater elegit ſanctos ante ordia rerum,*
*Adſcripſitque ſui ductos in jura peculI.*
*Illius in manibus fixi ſumus; omnia poſſit*
*Quæ cupiat, malus hoſtis, & improba techna malorum.*
*Non tamen huc titulos poterit delere receptos.*
*Quorum etiam tenues volitant quicunque capilli*
*In numero Dominum ſancto penes aëra pulſant.*
*Quod ſi quando leveis trahit Error in aſpera coram*
*Frater adeſt, ſtrictumque enſem Clementia ſumit*
*Iuſticiæ è manibus; ſic ut nos pœna malorum*
*Suavior admoneat; ceu mitis ad oſcula natum*
*Poſt ferulas, Pater, emendem vocat, omnia ſanctis*
*Conducunt, quæcunque Pater movet optimus, & cum*
*Non capimus, noſtræ data ſunt tamen omnia vitæ:*
*Iratum cum Facta Deum dant turpia, tamdem*
*In mediis revocat ferrum clementia pœnis*
*Tum quærenda magis: nebulis ceu blandus Apollo*
*Emicat, amiſſumque diem mortalibus aucta*
*Luce refert, ridetque hyemem ver ſuavius actam.*
*Intereà in vitam creſcit ſpes, Nobile ſidus,*
*Dura videns ſervire ſibi fata; omnis in almi*
*Auctoris laudes diſſolvitur; ille piorum*
*Pronior avertit quærentia fulmina noxas,*
*Vindicis in lethum ſerpentis; & omine ſancto*
*Purpuream ex alto ſanctos docet æthere vitam.*
*Cujus in arbitrio placidiſſima ſecula ducent*
*Non ultra diri metuentes vimque doloſque*
*In mortem Satanæ, quem jam teterrima fundo*
*Verſabit flagrante palus, nexumque catenis*
*Aeternam premet in noctem; cui Regia turma*

Sidereæ

*Siderea paret aulæ, Prætoria cæli*
*Militia, aligeris Michael dux inclytus alis.*
*Fons, Pater ipse, boni, & vitæ melioris origo*
*Salvifico intuitu caros speculatus amicos*
*Inducet sine morte sibi: de flore perenni*
*Ambrosiæ ætatis nitidissima secula surgent.*
*Illa bibet non jam mortali subditus orbi*
*Sed suus, acer homo: quem non jam futile sensûs*
*Ludibrium cæcabit agens; sed lumine puro*
*Edíscet Dominum, & Domino sine morte fruetur.*
*Qui modo nube latent oculi crassâque gravique*
*Nec solem adverso possunt subsistere visu,*
*Trans fontem ipsum almæ lucis clarissima mittent*
*Lumina, & arcana Numen sub lege videbunt.*
*Non aliter quam primus Adam cum pallida necdum*
*In mortem Lethes inimicæ jura subisset,*
*Proximus à puris Geniis ratione Tonanti*
*Omnia quæ toto florebant munera mundo*
*Imperio subjecta hominis cognoscere felix*
*Nominibus dabat apta suis; nec caussa latebat*
*Ulla virum, penitusque sacris Naturæ latebris*
*Claritidum lumen sancta in penetralia raptans*
*Immisit specubus, secretaque cuncta reclusit,*
*Quam miseri à primo lucem prodegimus ausu*
*In vetitum Patris, & pro nobilis ubere fructûs*
*Messe, modo in stipulis aciem versamus inertem.*
*Cortice vix summo rerum momenta secuti.*
*Debilis & tota vix vita prensilis usus*
*Vana dat auguria & contrà sua jussa vacillat.*
*Hinc fata Relligio Sortis, quæ inamabile Numen,*
*Egit in ora hominum, cum trux peccata refutat*
*F..ntus, nec tacta gravi meta invia telo est.*

*At Pater hanc labem æternis decedere jußit*
*Felicis vitæ super æthera cultibus almum.*
*Quicquid ibi egregiis oculorum pupula telis*
*Contigerit, penetrabit, agens trans corpora lucem,*
*Ipsaque Naturæ jam non fallacis operto*
*Lumine transpiciet secreta, & visa notabit.*
*Nec quisquam non certa animo præfiget, ut inter*
*Spes dubias Rota fortis agat sine remige currum.*
*Omnia quæ pietas intrà penetralia vitæ*
*Felicis cupiet, cupiendo absolvet, habebit.*
*Quippe Pater tumulis non jam mortalia ruptis*
*Corpora mandabit renovato excedere flore.*
*Ibunt lecta manus procerum; stirps ignea cæli,*
*Aethereis præstans animis, non nube decoram*
*Pressa procul faciem, non pallida morte futura,*
*Sed patrii pars suda poli, niveoque paratos*
*Agmine conscendet secla ante incognita, honoreis.*
*Illam ipse Omnipotens manibus super æthera latis*
*Extollet, mittetque sacros circum undique cursu*
*Aligeros, qui Regna throni statione coronant.*
*Quasque rudis lacrymas pietas expreßit in ista*
*Instabili nullo ceu, tempestate, magistro,*
*Abluet ipse, hilaresque ad præmia magna vocabit.*
*At procul enormi Stygius mala corpora serpens,*
*Implicat ingratorum hominum, qui sponte vidētes*
*Egregiam sprevere viam: cumque error ineptus*
*Stare loco, dubios rapuit loca in aspera gressus,*
*Neglexēre sequi revocantem ad sidera Christum.*
*Ille procul tensis manibus, clamore fideli,*
*Celsa è nocte vocat: sed stirps teterrima sannis*
*Impetit ex alta rorantem sanguine pinu.*
*Non secus ac merita pendens trabe perfidus olim*

*Inceßit*

*Incessit Latro immeritum, cum stipite Vita*
*Infami Mortis suffixa, potentibus omnem*
*Iustitiæ in sese torsura doloribus iram*
*Consumsit pœnas hominum, cum Maximus auctor*
*Pro genere ingrato subiit superabile lethum,*
*Exsciditque Erebum penetrans; ipsumque secuta*
*Gratia in infernâ devicit sede tyrannum,*
*Centum infanda armantem atroci colla veneno,*
*Anguicomo horrendum vultu; sed mitior Heros*
*Eripuit caros tumulis, stridentia pestis*
*Colla malæ vinxit Adamante, & turpia regna*
*Damnavit nocte æterna: liquêre sepulcra*
*Fortunatæ animæ veterum, cum Rege reducta*
*In vitam, quas primitias sacravit ad aram*
*Veracis Fidei, nec secum induxit Olympo*
*Ni visas ante in terris: ut Gratia natos*
*Natorum semper constante sequatur amare,*
*Apparent vivis functorum corpora pridem,*
*Exemploque docent, caput insuperabile letho*
*Cum redeat, vetereisque trahat de funere amicos,*
*Sperandam functis sponsore fidelibus almo*
*Egressum è tumulis: sed non hac Gratia pompa*
*Constitit Omnipotens, quia cum castisque piisque*
*Et mala projectis reviviscent corpora bustis.*
*Quod si distinctis Pietas Malitasque feruntur*
*In vitam mortemque notis, superare necesse est*
*Præmia cum pravis communia fata piorum.*
*Ergo igitur se sidereæ penetralia vitæ*
*Oppandunt castis, Domini reparata cruore;*
*Qualia non oculis usquam mortalibus isthic*
*Hausit homo, patulisve bibit vigil auribus ardor.*
*Qualia mens non ulla capit, non ulla secuta*

*Assequitur lita Musæo vox nectare linguam.*
*Immò adeò quæ priva suisque sibique reponit*
*Majestas Domini supremi, ut gloria constet*
*Perpetuis seclis, nec jam variabilis ævo.*
*Omnia cum Omnipotens possit, nil fingere possis*
*Quod nequeat, qui cuncta potest: Pater omnia Vitæ*
*Aethereæ, quæcunque potest, dare velle fatetur,*
*Tanta cui jam nunc testata est copia Laudum,*
*Vt dum corporeis vincti retinentur ab antris*
*Spe bona præcipere & speranda notare queamus.*
*Sed coram visuve sequi aut bibere aure profana*
*Sit mors ipsa homini, & junctæ resolutio Formæ*
*Nemo ibi successu peccabit ab impote pallens*
*Defectus lethique metu, atque errore viandi,*
*Sed pietas purgata Deo, quodcunque lubebit*
*Esse suæ spectabit opis: nec mentio lævæ*
*Vlla voluntatis superesse putanda; subacta*
*Aeternis vinclis cum Morte, unà omnis obibit*
*Pestis, & in solo stabunt nova Fœdera Christo.*
*Gratia jam effusis mundum complexa lacertis*
*Spiritibus castis, & non mortalibus ultrà*
*Plena viris, ambibit inexsuperabile fœdus.*
*Dira palus cum Morte procul, dirisque catervis*
*Sulfureas flammabit aquas; nec finis amari*
*Vlla doloris erit: ceu gaudia festa* IEHOVAE
*Ad nutum non ulla ævi patientur iniqui*
*Momina: dilectis adstabunt sidera amicis,*
*Non jam occasuro torquentia lumina vultu:*
*Aligerique, alto, juveneis, gens edita cælo,*
*Principiis procul à rerum, soloque creante*
*Inferior; pars humanæ narrare pericla*
*Instabit vitæ, & magni consulta Tonantis,*

*Vt*

*Vt teretem his technis, atque his excusserit hostem*
*Fraude, dolo, præcepta Dei dum quisque facessit.*
*Vltima sic uno conspirant carmina fine,*
*In* DOMINI *laudem, ut penitò liquefacta ab Amore*
*Desinat in medio stirps ordine flammea fandi.*
*Et sanctum impulsa* DOMINI *fide Numen adoret.*
*Mox alii atque alii sancti, Natique, Patresque*
*Et Fratres quondam & cognata voce sorores*
*Nunc unum in Domino nomen pietatis adepti*
*Purpureis aderunt alis, & carmina jungent.*
*Harmoniæ ad numeros cœlestis, amabile visu:*
*In medio residens solio Pater ipse* IEHOVAH
*Sanctifico mitis complexu unà omnia circum*
*Instaurans vitæ, placido mulcebit Amore.*
*Vt quæ prima sacræ tradens mysteria Legis*
*Præmia clementi largissima carmine sanxit,*
*Iusticiæ tamen ad nutum stricta orgia versans*
*Solvere se caris nunc delectabit amicis.*
*Quorum immensa cohors primi à vitalibus ævi*
*Principiis collecta, thronum flagrantis adorat,*
*Non jam disparibus linguis, ætate, vel alti*
*Gente sacra generis: nisi quod lux major in illis*
*Qui reliquas duxère animas: hic maximus Adam*
*Hic & flammifero curru sublatus Helias,*
*Atque alio curru Christo stat prævius Henoch.*
*Hic Seth sacra canens, hic non jam pallidus Abel*
*Fraternis furiis, hic se successio tota*
*Fortunati ævi cælestibus inserit astris.*
*Cujus promissæ non toto nomine princeps*
*Ductor Abram in bissena patrum dat semina robur:*
*Atque alii tanto numero, quanto altus Horizon*
*Ornatur stellis, quot nec mare versat arenas:*

*Præcipuè regali auro fulgentior Heros*
*Dulcia terribili mutans psalteria ferro,*
*Posteritate suâ felix, cui nobile germen*
*Virgo venit sacrata Deo, super omnia virgo*
*Germina, felicem quam secula cuncta perenni*
*Concelebrant studio; Dominum paritura parētem,*
*Quæ cum fæta auctore suo, sine semine prole*
*Plena viri, tacitis promissum ambagibus ævi*
*Heroem sistet terris; nova secula surgent*
*Omnis & abjectâ morum impietate sub unum*
*Ibit opus, verâ pietate novabilis, orbis.*
*Hanc circum vates sancti quæ præscia cuique*
*Indulsit Domini virtus, rata carmina cernunt*
*Fine sub optato spes implevisse parentum.*
*Hinc læti insiliunt choreis, & nablia pulsant,*
*Nec minus ille novæ tradens mysteria Legis*
*Stat Chorus, argumenta necis sua quisq; professus.*
*Hunc gladio abscissum caput in sacra gaudia raptat,*
*Illum aliumque aliis pœnis inamæna tyranni*
*Inseruere Deo perjuris fulmina bellis.*
*Hic bissena patrum stat concio nixa columnis*
*Sidereæ fidei, stat juxtà & gentibus almæ*
*Monstrat iter vitæ, converso nomine, Paullus,*
*Nec non prima ferens impensæ gaudia vitæ*
*Egregius formâ juvenis, cui desuper ingens*
*Ianua jussa poli est nullo custode patere.*
*Nec non horrifera succinctus pelle cameli*
*Fonte novo vetereis suadens exstinguere flammas*
*Turpificæ labis, nec non qui nobile bustum*
*Exiit, ad geminam videt sublime sororem,*
*Præterea cincti lauru, niveisque recincti*
*Vestibus, in Latio Grajoque Ecclesia mundo*

*Queis innixa viris, melos æquiperabile solvunt*
*Cælestis Sophiæ, Pater Augustinus; & ore*
*Aureoli Eloquii stirps facundissima vitæ.*
*Et vario sermone potens, Bethlemicus augur.*
*Ambrosioque satur preco clarissimus œstro.*
*Nec non quæ pædore gravi data secula culpis*
*Eluerunt, Germanus homo, & fata sanguine Gallo*
*Pernicies Satanæ, qui septem in collibus aulam*
*Exstruxit, mortale sonans, ut pompa maligni*
*Verteret in præceps etiam castissima, honoris.*
*Queis cum jam veteri purgata Ecclesia floret*
*Ambitione hominum vanorum, extrema propinquant*
*Tempora; promissi properat jam Gratia terris*
*Fœderis alma memor; jam turbidus astra tumultus*
*Exigit in vultus varios, prædicta ministrat*
*Signa polus, venturum altâ cum luce piorum*
*Suspirant Regem cœtus; movet ille tremendum*
*Vivisque functisque unâ sub lege tribunal.*
*Pallescunt jam regna Erebi: furit ipse propinqui*
*Conscius exitii, nec jam ulla in crimina cessat*
*Vertere perniceis hominum sensusque manusque.*
*At miseri quam non fulgentis fulmina ferri*
*Mortales, sentire oculis, sonitumque tremendo*
*Aera tranantem tonitru cognoscere malunt*
*In vitam, quam pestifero torquêre cachinno.*
*Cæca, sed & vanis animos gens obruta curis*
*Lethum amat infelix, mucronemque induit ultro*
*Festinans in pœnam, atque irrevocabile frendens.*
*Non aliter primi quam cum se infantia mundi,*
*Evexit cunis, nubunt, ducuntque, trahuntque*
*Et rapiunt, sibi quisque ævum victurus inane*
*Præ Domini monitis, in rerum divite pompâ.*

*Sed quid ego ante alios sacrato in pulvere verso*
*Indignum divis currum insessoribus, augur*
*Perpetuæ vitæ, qui crimine perditus omni*
*Vix quicquam à primâ, nisi pravum, ætate, parentum*
*Pressa sequens presßim vestigia, dicere quivi*
*Et facere, ad rectum vecors, ad perfida velox:*
*Me miserum, quis me exsolvet mortalibus umbris*
*Vt me nosse queam, fructumque excerpere tantâ*
*Proluvie errorum, qui adigunt me in vincula mortis.*
*Nulla super vitiis, species, inamabile nomen*
*Incultum nobis retinet: Contrà omnia veni*
*Iussa Patris, patriamque, almo mihi debitam Olympo,*
*Quæsivi terris, sprevique ad celsa vocantem*
*Cæcus amore luti, Dominum: Domini actus honorem*
*Improbitate merâ funesta ad Numina mundi*
*Inclinavi operas. Petulantia turpis, & exlex*
*Impietas, nec non generosa superbia lethi*
*Illecebris vicère animum; miser utile tempus*
*Cælesti Sophiæ tenebris insumere pernox*
*Futilis Harmoniæ vatum, Rationis inaneis*
*Stupravi numeros ad fœda pulpita Musæ.*
*Nil castum aut sanctum volui, tua Festa reliqui*
*Omnipotens circum sacros quærentia cultus.*
*Atque iter erronum prono pede sæpè cucurri.*
*Quem tibi quem purâ debebam mente Poetam*
*Indulsi seclo & mortalia carmina dixi.*
*Exosus quodcunque sacrum, ceu lucis inane*
*Eloquii culti, quod ceu ponto improba Seiren*
*Incubat in Famam & pellectos nectare lethat.*
*Non te umquam toto, quod poscis, pectore amavi,*
*Imo adeo instantem contemsi, & sponte reliqui.*
*Sacra tua & vitæ data Sacramenta renatæ*

*Prædem animæ cælestis opis, pede perfidus atro*
*Calcavi, & sannis nolensque volensque petivi.*
*Nullius alterius caussæ compulsus Amore*
*Tempora quam nostræ data quod non nosse Saluti*
*Indocilis vestri, volui. Quod fœdus amore*
*Rite tui coluisse jubet, genus, ipse secutus*
*Infelici odio fratrum, mea viscera, væ me,*
*Ah miserum, ah miserum, quoties, sine more, necavi!*
*Iam nec casta tibi servavi altaria, Christo*
*Corporis in nostri toto constructa cubili.*
*Sed temeravi animam, stuprante Libidinis œstro,*
*Et Stygiæ Veneri mentem ad fœda orgia cessi.*
*Mille modis, ah, mille modis, ah millia quanta*
*Nec jam voce sequi, nec mente expromere possum,*
*Sanctificum infanti fœdus mihi flumine diô*
*Instillatum à te & signatum interprete verbo.*
*Contemeravi ultrò & monitorem ad sancta reliqui,*
*Vt necis auctori servirem, ut flebile pignus*
*Peccarem morti: Quæ sunt, Pater optime, cuncta*
*Nota tibi, atque atrox immani inscripta recenset*
*Quottidie menti tabulæ vafer hostis, at inter*
*Tot numero maculas numerum me perdere clamo*
*Quottidiè exaugens aliis peccata piaclis.*
*Præcipuè unum inter longum fœdumque malumque*
*Crimen edit cunctas animum maculasque luesque.*
*Vixque ullam sinit horam ignaram abscedere quantis*
*Peccarim Furiis cum non agnoscere possem*
*Quid facerem infelix effrænis lege juventæ,*
*Confususque animum exemplis malitatis inultæ.*
*Præterea turpis sub regna libidinis actus*
*Pravorum stimulis hominum; quibus improba cunis*
*Luxuria à primis usque hæc in tempora ducta est.*

*Ah miserum, quam fœda retrò pudet ausa secutum*
*Posse mea non vertere ope, ut dare facta, IEHOVA,*
*Nunc infecta tibi. Quaquà versum acria volvo*
*Lumina, nemo meis quit opem Podalyrius actis*
*Suppeditare, herbis, aut diæ carmine vocis.*
*Nil superest à fronte mihi nisi flebile lethum,*
*Nil jam terga premit, nisi denso examine pœnæ,*
*Læsaque præcipuè sibi mens tristisque gravisque*
*Imminet ex imo Iudex fervore Iuventæ.*
*Omnia quæ arcanis latuerunt Tartara seclis*
*Instrumenta necis mihi trux Rhamnusia laxat.*
*Et quid ego has inter tenebras, hæc nubila rerum*
*Sollicitâ possim castis dare mente Camœnis?*
*Et monstrare viris ducentem ad sidera callem*
*Ipse procul calcans diræ vestigia Lethes?*
*Quin miseram atrato vitam decurrere luctu*
*Infelix me cogo puer? jacta orgia puris*
*Suscipiant manibus Vates melioribus usi*
*Ingenio auspiciis; me me in declive deorsum*
*Funus agit meritum, & flagrantia Tartara pandit.*
*Iustitiæ quæ strictus agon, quæ jura reposcunt*
*Dia polo, rigidoque inimicus postulat ore:*
*Quem læsi vecors; ah cur crudelia primum*
*Iussa hostis subii; cur non semacta reliqui?*
*Cur non fine ipso redii in primordia vitæ?*
*Ah miserum, ah miserum! nil ultra excernere fletus*
*Perpetui possunt: miserum miserabile carmen*
*Solvit ebur: cupit ire retro mens: læsa repugnat*
*Sponte meâ pietas, indignaque testis ab imo*
*Ausa canit veniâ; mihi nil nisi tristia quærit*
*Vt satis ardenti fiat nece Vindicis Iræ.*
*Ipse pio quondam miserans errantia vultu*

*Secla virûm ex alta strictum vibrat aëra nuoe*
*Tristiciæ æternæ testem, quæ me instet atroces*
*Commeritum pœnas, Christus Fraterq; Deusque;*
*Nec superest quo me effugiam, qua Iudicis urnam*
*Sorte latêre queam: jam jam ærumnabilis undæ*
*Alluit atra pedem, Styx quam rotat inscia retro*
*Aeternum rediisse: & jam fœdissima turba*
*Spirituum infernorum infanda in vincla redactum*
*Abripit, atque uno adspectu spem præcipit omnem.*
*At miserum cum dira animum premat undique pestis,*
*Nobilis è nebula procul exigit ora serena*
*GRATIA, Iustitiæ cujus superabilis ante*
*Concidit aspectum stricto lanx fulgida ferro.*
*Hanc subitò ex alto miserator amabilis axe*
*Spiritus in nostrum pectus sanctissimus inflat:*
*Illicet in CHRISTI lavor immortale cruore*
*Concipiens animo Vitæ auguriumque Fidemque*
*Ille cui stricto dudum pœna effera ferro*
*Iustitiæ exegit non una debita lege.*
*Mitior arridet fidenti, & talia jactat.*
*Perdita ovis, tua te revocat custodia retro*
*Linque viam mortis; vitæ tibi janua prono*
*Poste patet: super ipse humeris te pastor amicis*
*Restituetque gregi, atque incendia viva manendi*
*Subiiciet menti; major tibi Gloria noxa*
*E tanta veniet; Pater ut gaudere reperto*
*Suavius auditur nato, quam si ille vagantem*
*Numquam amisisset; Major circum agmina fundit*
*Lætitia Angelica ex uno peccante reducto*
*Ad vitam, centum quam semper amantibus illam.*
*Hæc ego cum cernam & numquam non cernere possim*
*Vt jam facta palàm & visu testata fideli,*

Ecce

Ecce tibi tua, Pastor, ovis, redeoque, meique
Iudicium reditus sanctißima carmina porto.
Quæ non nostra canit, mentem externata, voluptas,
Suavidicæ Musæ, sed spiritus actor Olympo
Ingerit in numeros; cui gloria quæritur ingens
E studio indocti, & peccantis ab ore sequendam
Gratia dia viam justis monstrare fatetur.
Ipse sequor ductricem almam, & jam terminus, altè
Quæsitus, propior puncta ultima monstrat; in illa
Dia canam sacræ primordia Legis, & inter
Dona tua exsultabo, Pater; nunc pronus adoro
Iusticiamque tuam, quæ me peccasse premendo
Admonuit, mortemque ostendit & orgia mortis,
Materiem quibus ipse dedi tua jura relinquens,
Nec minus excelso data quæ clementia cultu
Desperare vetat, Pater ô supreme, mearum
Da me pæniteat macularum, ut pectora purgem
Et redeam verè & verè te lotus adorem.
Exemplum Fidei miseris, quibus ista profunda
Mente cano, interpresque tuus tua dicta redico.
Ah miseri, Vanum omne quod est sub Sole, putate
Linquite mortaleis curas, date pectora sanctis
Inter vos studiis: quam vivitis orbis in hujus
Arbitrio, non Vita, via est inamabilis Orco.
Spes bona vos Fidei certos jubet æthera purum
Mente sequi, & Christi testatis sanguine dictis,
Credere: non propria qui quærit gaudia vitæ
Quippe potens quodcunque lubet, quodcunque potest, qui
Omnia jure potest: sed vos ut turpia secli
Gaudia vitetis, quorum est mors perfida, finis,
Vt secum Vitæ melioris ad ardua ducti
Regna, caducarum vincatis vincula rerum,

*Hinc sua Doctrinæ firmandæ vulnera quinque*
*Impendit: quid credis, homo, non velle parentem*
*Cælestem præstare tibi, cui filius Orbem*
*Humanum subiit, hominem induit, actus in atrox*
*Spontè suâ letum, & cruce victima sancta pependit?*
*Illius ad nutum Stygium procul agmina pœnis*
*Succedunt Lemurum, purgataque secula linquunt,*
*Vt quoque in hâc miserâ toto cum pectore vita*
*Sit servire Deo facile, & dare vota Saluti.*
*Quod si fœda tamen generis remanebit in alto*
*Condita corde lues, Frater sanctissimus astat*
*Idem ille Omnipotens, inductaque crimina delet*
*Gratiæ ad arbitrium, non exsuperabile nævis.*
*Hæc nullum venientem ad se scit spernere, nulli*
*Non venienti ultrò patet aula Salutis Olympo.*
*Hanc tibi nunc Erato monstrat mea, quisquis inaneis*
*Seponis curas, & sancta altaria castus*
*Accedis manibus: Tibi tempora Aquarius Heros*
*Flumina defundit liquido, ut pereuntia cernas*
*Omnia nullius precii censenda, ruinam*
*Tradita in æternam: nec enim semel unda profusa*
*Ad fontem redit, sed cæco errore relicta*
*Tabuit; at felicis ubi subit in loca terræ*
*Fœcundat fructu jam credita semina sulcis.*
*Nec tamen huic precium est aliquod, qui flumine plantas*
*Irrigat affuso, sed qui pater addit ab alto*
*Incrementa polo suboli, mansuraque glebis*
*Expedit, & læto mox semina flore coronat.*
*Mox fructum benedicto operi pia Gratia donat,*
*Prolis ut æterno prolem succedere proli*
*Tempore conspiciat, lethataque floreat ex se.*
*Nunc ubi jam extremum clausuros carmine pisces*

*Carmen,*

*Carmen, adesse prope & vati jam adnare videmus,*
*Dicite jo grateis, & jo bis dicite Grateis*
*Sancta cohors Domino, & Psalteria dia secuti*
*Regis Iessiaci mecum hos ter dicite cantus.*

EGREDERE *ex adytis animi penetralibus, & te*
*Totam impende tibi, mens enthea: nobile plectrum*
*Attonite in dias rapiat vatem impete laudes.*

*Omnipotens, tibi sacra cano, tibi concita ab imis*
*Sedibus egregium in carmen mens bullit, & almum*
*Nomen obit, recolens memori benefacta relatu.*

*Mens cane jo Dominum, nec inerti oblivia nube*
*Grandia Supremi possint merita ire Parentis*
*Deletum, æterno stet gratia carmine perpes.*

*Qui scelus infandum & vetita dispendia culpæ*
*Mille premit, diramque luem & dominantia centum*
*Secula morborum leni levat undique curâ.*

*Qui vitam è letho jam desperantis amicâ*
*Asseruit dextrâ, ut caput ærumnabile pridem*
*Egregiâ cingat Clementia dia coronâ.*

*Qui defessam animam satiat dapis ubere mensa*
*Atque aquilæ in morem viridam de fæce juventam*
*Eruit annorum, renovatque in prole senectam.*

*Quem penes arbitrium justæ, legesque modique*
*Iustitiæ, qui passum incestâ injuria lance*
*Vindicat, & diribit cunctis æquabile verum.*

*Qui populum Abramidem sua sancta altaria castis*
*Edocuit manibus colere, & dare jura Moysen*
*Scripta, quibus magni censetur curia Regis.*

*Qui clemens animi & populi miserator egentis*
*Longanimi strictam retinet moderamine lancem,*
*Egregius Pietatis & exorabilis auctor.*

*Qui non perpetuâ furit insatiabilis ira*

*Nec gentis commissa suæ pro criminis ausu*
*Aeternas rapit in Pœnas, nec condita servat.*
*Qui non pro maculis & multa labe suorum*
*Tristificum exegit merita in vitalia ferrum,*
*Sed placido trepidos advertitur ore precanteis.*
*Qui quanto imum orbem circumvolat axis in orbem*
*Circite, seposuit spacijs mala nostra remotis,*
*Et tibi firmavit sanctos, clementia, postes.*
*Qui quantum Eoo refugit ruber Hesperus ortu*
*Distantem à culpis Pœnam seclusit, & inter.*
*Mitem animi posuit Pietatem, & fœdera fixit.*
*Qui pater ut nati casum miseratur iniquum.*
*Castigatque animo leni, & cavet inde futuro,*
*Lapsantum instaurat placido discrimina vultu.*
*Qui nostræ gnarus vitæ, miserabile corpus*
*Scit fugitivum herbæ florem adsimilare tumentis,*
*Pulveris aut tortum rapido glomum in aera vento.*
*Quippe rapax ubi turbo Noti transibit hiantem*
*In nebulis vitam, vitæ flos ibit in auram*
*Nec trepidum agnoscet locus incolam, inanis ab illo.*
*At Domini æternâ stabilis Clementia mente*
*Durat ab æterno at rnum inviolata per orbem.*
*Mitis ijs coluere pia qui mente Parentem.*
*Nec minus immotis stat Iusticia orbibus in se*
*Natorum natos mansura in perpetis ævi*
*Circuitus, sacra qui servarunt fœdera pactis.*
*Ipse poli supra sibi regna novemplicis orbes*
*Constituit Dominus, stabilitaque jussit in ævum*
*Omnibus in Regnis dominantia jura tueri.*
*Hunc mihi, io, laudate alti prætoria cæli*
*Agmina, io, Dominum juvenes laudate decori,*
*Aeternam uncti virtutem, ut nobile carmen*

*Divinæ vocis totum portetur in orbem.*
*Omnis, jo, omnis, jo te Regia cœlite laudet*
*Militia accentu, tua qui mandata ministrant*
*Expediunda viris, mundum exaudita per omnem.*
*Omnia, jo, quacunque immensa Potentia regnat*
*Omnia, jo, Dominum laudate, jo omnia sanctum*
*Auctorem laudate Opera Omnipotentis: In illis*
*Tu quoque nostra anima ex imis excita latebris*
*Concelebra Domini semper-regnantis honorem.*

FINIS AQUARI.

C. BARTHI

# ZODIACI VITÆ CHRISTIANÆ.

## LIBER XII.

QUI ET PISCES.

*TE, Pater Omnipotens, extremo carmine primum*
*Deveneror, flexoque tuum pede numen adoro:*
*Simplicibus numeris, procul ambitione placendi,*
*Relligionis opes cupidus recludere sanctæ.*
*Da, Pater, auspicium felix; supremaque longi*
*Linea agat cœpti pereuntem ad desita mundum*
*Sacra, Palæstinis sacrata penatibus olim:*
*Quorum adeò Europæ mysteria credidit auctor*
*Ultima, & ardenteis populos Pietatis amore*
*Duxit ad astra manu, procul à pe[ll]ucibus umbris*
*Fictorum Geniorum, actis in numina mille,*

*Fœda superstitio queis quondam innexa reduxit*
*A Ratione hominem, & stabula in sordentia traxit*
*Quadrupedum, queis Ventre Salus absolvitur omnis.*
*Alme parens, longi labor hic tibi maximus orsûs*
*Serviat, & gravido deducat stamine telam.*
*Vt fessi artificis supremo fimbria textu*
*Sentit opus, Chlamydemque brevi præponderat auro.*
*Illa licet rudibus squamis, & divite venâ*
*Ardeat, in summa tamen ingeniosior auctor*
*Veste fuit, precium dedit ars insigne metallo.*
*Hinc Pia Posteritas & Christi Ecclesia nomen*
*Intrepidum servans, vatis spectare severi*
*Relligiosum animum, & veræ virtutis amantem,*
*Gaudeat, æternæ data cui promißio Vitæ est,*
*Quæ procul à tenebris, & cæci motibus ævi,*
*Intrà se felix, sancta composta quiete,*
*Ridet anhelanteis furias & fulmina sævi*
*Hostis, ubi adversas cernens crebrescere flammas*
*Carceris æterni, Stygias penetralibus iras*
*Egerit ex imis, vicina morte cruentus,*
*Et genus omne movet vitiorum, ut pluribus atrox*
*Supplicium intentet mortalibus; ipse suarum*
*Certus, in humanas inducat Tartara Pœnas.*
*OMNIA quæ, Domini mandata, bilancibus olim*
*Detulit in terras tabulis de monte Moyses.*
*Exscripsit Pater Omnipotens deno ordine Legum.*
*Quinque bis insculpens capita, ut compendia morum*
*Traderet in paucis, sanctæ servanda Sioni.*
*Adjiciens forteisque minas contemtus, & ingens*
*Vltorem ostentans gladium, nisi in pectore toto*
*Mente animi penita & sensuûm penetralibus imis*
*Custodiret homo sancitæ Legis honorem,*

*Præmia*

*Præmia demonstrans seros mansura Nepoteis*
*Sanctorum meritis, quorum immortalia jura*
*Susciperent nati, patribus patrata severis,*
*Servarentque pari studio, & servanda futuræ*
*Legarent suboli, quæ mox exempla facessens,*
*Traderet æternæ numquam rumpenda catenæ.*
*Omnibus ut sibimet numeris Ecclesia constans*
*Legiferum traheret læta in mysteria tempus*
*Magnanimi Herois, cujus spe antiquus avorum*
*Ordo tulit Fidei pretium, nactusque Salutem est.*
*Has Pater in tabulas bis quinque in carmina ductas*
*Inspicere humanos, vitamque examine Iuris*
*Emendare sacri jussit: Caput ordine primum*
*Cuncta trahit secum, & speculo tibi pingit aperto.*
*DILIGE me solum, solum Dominumque Deumque*
*Nempe tuum, procul informeis, puer, abjice massas*
*Squallentisve auri, aut concisæ in corpora gemmæ.*
*Vnde superstitio prognata ferocibus ausis*
*Abstulit à cœlo genteis, dein marmora jussit*
*Pro Domino colere, & sancto venerarier igni:*
*Hæc tu facta fuge, & simulacra excisa metallo,*
*Marmoraque scopulosque & caelo fictile lignum*
*Et luteas formas, & picta ænigmata Divûm*
*Vre procul; nullamque ausis dein fingere formam*
*Assimilem formis cœlestibus; ejus ut intra*
*Effigiem venerere Deos: Ego Nominis hujus*
*Solus honorabor cultu; nec enim ullius usquam*
*Participem dignabor opus convellere cultum.*
*Me penito ex animo, toto me pectore Patrem*
*Et Dominum venerare tuum, sta fortior in me*
*Cominus, & pura narratis mente periclis*
*Præstolare Deum. Scripsit Pater ordine primum*

*Admo-*

*Admonitus Regis sacer Omnipotentis ut ardor*
*Inconstantem hominem reliqua auscultare juberet.*
*Nam Domini vero quisquis conceptus Amore*
*Solum habet ante oculos, solum constanter adorat,*
*Solum scit superesse sibi, & dare fata jubendo,*
*Cultum aget in naturam & delirare timebit.*
*Viribus ille quidem minime confisus inertis*
*Ad superos cultus humani pectoris, almi*
*Fisus ope auxilij, quod Spiritus ingerit alto*
*Vivificum Charitis spirans cœlestis amorem.*
*Cerne dehinc juxta capitis tibi summa secundi*
*Talis erit; cum nota tibi sit Gloria soli*
*Debita sola Deo: Cave numinis omnia sancti*
*Fœda superstitio sannis incestet acerbis,*
*Nomen adorandum ne futile carmen anili*
*Vsurpet gemitu, aut pallenteis nenia voces*
*Contrahat in Magicum facinus, queis callidus anguis*
*Adijcit omnipotens certa in compendia pondus,*
*Vt quasi cœlesti succedant omnia jussu;*
*Incantata procul parere Elementa putentur*
*Cedere Fata retro, descendere sidera cœlo.*
*Flumina contortis alio migrare fluentis.*
*Armatas acies Erebo conscendere terras,*
*Et pugnare animis homini ad mandata paratis.*
*Ipsum adeo Regem Stygia de nocte vocari*
*Pulveris arcani dictis in nomina signis.*
*Et modo quadrupedum ritu dare terga sedenti*
*Aereisque procul spacijs portare canentem.*
*Quæque alia incassum movit ludibria serpens*
*Dardaniasque arteis, & Colchæ robora plantæ,*
*Thessalaque excitis data carmina manibus omen,*
*Cumæosque sinûs, & quæ spiracula Ditis*

*Attoniti*

*Attoniti vates oestro videre furenti.*
*In vetitis hæc cuncta putes. Nec, mobilis iræ,*
*In scelus usurpes Domini venerabile nomen,*
*Barbara inhumanis spargens convicia dictis.*
*Quippe Pater temerantem ingrato carmine sanctum*
*Omni ultor nomen cum majestate sequetur.*
*Ipse minas super ingenteis adjecit, & alto*
*Sancivit semper mansuram fulmine legem.*
*SEX Operi Omnipotens vitæ terræque colendis*
*Libertate dies placita mactavit, & usui*
*Indulsit miserorum hominum; quo fata labore*
*Atque alium ex alio ducentia secula morbum*
*Invigilent curis, sudorem industria vincat;*
*Incultasque arteis studio domet improba longo.*
*Pauperies, victumque inimica à matre reposcat.*
*Septima sed sanctis lux est devota colendis*
*Muneribus, ne quem facinus fecisse profanum*
*Hâc jubeat quavis pugnax Audacia causa.*
*Invigilent cuncti meditando, & dicta revolvant*
*Mente Dei: nulli castam scelerare dierum*
*Fas vitæ studiis, Sophiæve avertere cultu.*
*Hac coeant taciti demisso pectore, & in se*
*Quisque sacrum venerator opus, quo machina mundi;*
*Condita, quo prisci coram videre Tonantem*
*Indigetes, animoque æquarunt divite Olympum.*
*Et Pater extento vibrans miracula ferro*
*Messuit Aegypti Proceres, mala pestis in orbem*
*Dena redit, tamen obstipi Pharaonis inaneis*
*Frangere non potuit fastûs, cum milite donec*
*In ponto jacuit medio, tumidusque tumenteis*
*Hausit aquas: deinde electo quæ Legifer Herôs*
*Jussa dedit populo; deserta per avia quali*

Limite

*Hinc sua Doctrinæ firmandæ vulnera quinque*
*Impendit: quid credis, homo, non velle parentem*
*Cælestem præstare tibi, cui filius Orbem*
*Humanum subiit, hominem induit, actus in atrox*
*Spontè suâ letum, & cruce victima sancta pependit?*
*Illius ad nutum Stygium procul agmina pœnis*
*Succedunt Lemurum, purgataque secula linquunt,*
*Ut quoque in hâc miserâ toto cum pectore vita*
*Sit servire Deo facile, & dare vota Saluti.*
*Quod si fœda tamen generis remanebit in alto*
*Condita corde lues, Frater sanctissimus astat*
*Idem ille Omnipotens, inductaque crimina delet*
*Gratiæ ad arbitrium, non exsuperabile nævis.*
*Hæc nullum venientem ad se scit spernere, nulli*
*Non venienti ultrò patet aula Salutis Olympo.*
*Hanc tibi nunc Erato monstrat mea, quisquis maneis*
*Seponis curas, & sancta altaria castis*
*Accedis manibus: Tibi tempora Aquarius Heros*
*Flumina defundit liquido, ut pereuntia cernas*
*Omnia nullius precii censenda, ruinam*
*Tradita in æternam: nec enim semel unda profusa*
*Ad fontem rediit, sed cæco errore relicta*
*Tabuit; at felicis ubi subit in loca terræ*
*Fœcundat fructu jam credita semina sulcis.*
*Nec tamen huic precium est aliquod, qui flumine plantas*
*Irrigat affuso, sed qui pater addit ab alto*
*Incrementa polo soboli, mansuraque glebis*
*Expedit, & læto mox semina flore coronat.*
*Mox fructum benedicto operi pia Gratia donat,*
*Prolis ut æterno prolem succedere prolis*
*Tempore conspiciat, lethataque floreat ex se.*
*Nunc ubi jam extremum clausuros carmine pisces*

*Carmen, adesse prope & vati jam adnare videmus,*
*Dicite jo grateis, & jo bis dicite Grateis*
*Sancta cohors Domino, & Psalteria dia secuti*
*Regis Iessiaci mecum hos ter dicite cantus.*
EGREDERE *ex adytis animi penetralibus, & te*
*Totam impende tibi, mens enthea: nobile plectrum*
*Attonitꝰ in dias rapiat vatem impete laudes.*
*Omnipotens, tibi sacra cano, tibi concita ab imis*
*Sedibus egregium in carmen mens bullit, & almum*
*Nomen obit, recolens memori benefacta relatu.*
*Mens cane jo Dominum, nec inerti oblivia nube*
*Grandia Supremi possint merita ire Parentis*
*Deletum, æterno stet gratia carmine perpes.*
*Qui scelus infandum & vetitæ dispendia culpæ*
*Mille premit, diramque luem & dominantia centum*
*Secula morborum leni levat undique curâ.*
*Qui vitam è letho jam desperantis amicâ*
*Asseruit dextrâ, ut caput ærumnabile pridem*
*Egregiâ cingat Clementia dia coronâ.*
*Qui defessam animam satiat dapis ubere mensa*
*Atque aquilæ in morem viridam de fæce juventam*
*Eruit annorum, renovatque in prole senectam.*
*Quem penes arbitrium justæ, legesque modique*
*Iustitiæ, qui passum incestâ injuria lance*
*Vindicat, & diribit cunctis æquabile verum.*
*Qui populum Abramidem sua sancta altaria castis*
*Edocuit manibus colere, & dare jura Moysen*
*Scripta, quibus magni censetur curia Regis.*
*Qui clemens animi & populi miserator egentis*
*Longanimi strictam retinet moderamine lancem,*
*Egregius Pietatis & exorabilis auctor.*
*Qui non perpetuâ furit insatiabilis ira*

*Nec gentis commissa suæ pro criminis ausu*
*Aeternas rapit in Pœnas, nec condita servat.*
*Qui non pro maculis & multa labe suorum*
*Tristificum exegit merita in vitalia ferrum,*
*Sed placido trepidos advertitur ore precanteis.*
*Qui quanto unum orbem circumvolat axis in orbem*
*Circite, seposuit spacijs mala nostra remotis,*
*Et tibi firmavit sanctos, clementia, postes.*
*Qui quantum Eoo refugit ruber Hesperus ortu*
*Distantem à culpis Pœnam seclusit, & inter*
*Mitem animi posuit Pietatem, & fœdera fixit.*
*Qui pater ut nati casum miseratur iniquum*
*Castigatque animo leni, & cavet inde futuro,*
*Lapsantum instaurat placido discrimina vultu,*
*Qui nostræ gnarus vitæ, miserabile corpus*
*Scit fugitivum herbæ florem adsimilare tumentis,*
*Pulveris aut tortum rapido glomum in aera vento.*
*Quippe rapax ubi turbo Noti transibit hiantem*
*In nebulis vitam, vitæ flos ibit in auram*
*Nec trepidum agnoscet locus incolam, manis ab illo.*
*At Domini æterna stabilis Clementia mente*
*Durat ab æterno et unum inviolata per orbem.*
*Mitis ijs coluere pia qui mente Parentem.*
*Nec minus immotis stat Iusticia orbibus in se*
*Natorum natos mansura in perpetis ævi*
*Circuitus, sacra qui servarunt fœdera pactis.*
*Ipse poli supra sibi regna novemplicis orbes*
*Constituit Dominus, stabilitaque jussit in ævum*
*Omnibus in Regnis dominantia jura tueri.*
*Hunc mihi, io, laudate alti prætoria cæli*
*Agmina, io, Dominum juvenes laudate decori,*
*Aeternam cuncti virtutem, ut nobile carmen*

*Divina*

*Divinæ vocis totum portetur in orbem.*
*Omnis, Io, omnis, Io te Regia cœlite laudet*
*Militia accentu, tua qui mandata ministrant*
*Expediunda viris, mundum exaudita per omnem.*
*Omnia, Io, quæcunque immensa Potentia regnat*
*Omnia, Io, Dominum laudate; Io omnia sanctum*
*Auctorem laudate Opera Omnipotentis: In illis*
*Tu quoque nostra anima ex imis excita latebris*
*Concelebra Domini semper-regnantis honorem.*

FINIS AQUARI.

C. BARTHI

# ZODIACI VITÆ CHRISTIANÆ.

## LIBER XII.

### QVI ET PISCES.

*TE, Pater Omnipotens, extremo carmine primùm*
*Deveneror, flexoque tuum pede numen adoro:*
*Simplicibus numeris, procul ambitione placendi,*
*Relligionis opes cupidus recludere sanctæ.*
*Da, Pater, auspicium felix; supremaque longi*
*Linea agat cœpti pereuntem ad desita mundum*
*Sacra, Palæstinis sacrata penatibus olim:*
*Quorum adeò Europæ mysteria credidit auctor*
*Vltima, & ardenteis populos Pietatis amore*
*Duxit ad astra manu, procul à pellacibus umbris*
*Fictorum Geniorum, actus in numina mille,*

*Fœda superstitio queis quondam innexa reduxit*
*A Ratione hominem, & stabula in sordentia traxit*
*Quadrupedum, queis Ventre Salus absolvitur omnis.*
*Almeparens, longi labor hic tibi maximus orsus*
*Serviat, & gravido deducat stamine telam.*
*Ut fessi artificis supremo fimbria textu*
*Sentit opus, Chlamydemque brevi præponderat auro.*
*Illa licet rudibus squamis, & divite venâ*
*Ardeat, in summa tamen ingeniosior auctor*
*Veste fuit, precium dedit ars insigne metallo.*
*Hinc Pia Posteritas & Christi Ecclesia nomen*
*Intrepidum servans, vatis spectare severi*
*Relligiosum animum, & veræ virtutis amantem,*
*Gaudeat, æternæ data cui promissio Vitæ est,*
*Quæ procul à tenebris, & cæci motibus ævi,*
*Intrà se felix, sancta composta quiete,*
*Ridet anhelanteis furias & fulmina sævi*
*Hostis, ubi adversas cernens crebrescere flammas*
*Carceris æterni, Stygias penetralibus iras*
*Egerit ex imis, vicina morte cruentus,*
*Et genus omne movet vitiorum, ut pluribus atrox*
*Supplicium intentet mortalibus; ipse suarum*
*Certus, in humanas inducat Tartara Pœnas.*
*OMNIA quæ, Domini mandata, bilancibus olim*
*Detulit in terras tabulis de monte Moyses.*
*Exscripsit Pater Omnipotens deno ordine Legum.*
*Quinque bis insculpens capita, ut compendia morum*
*Traderet in paucis, sanctæ servanda Sioni.*
*Adjiciens forteisque minas contemtus, & ingens*
*Ultorem ostentans gladium, nisi in pectore toto*
*Mente animi penita & sensuum penetralibus imis*
*Custodiret homo sancitæ Legis honorem,*

*Præmia*

*Præmia demonstrans feros mansura Nepotcis*
*Sanctorum meritis, quorum immortalia jura*
*Susciperent nati, patribus patrata severis,*
*Servarentque pari studio, & servanda futuræ*
*Legarent suboli, quæ mox exempla facessens,*
*Traderet æternæ numquam rumpenda catenæ.*
*Omnibus ut sibimet numeris Ecclesia constans*
*Legiferum traheret læta in mysteria tempus*
*Magnanimi Herois, cujus spe antiquus avorum*
*Ordo tulit Fidei pretium, nactusque Salutem est.*
*Has Pater in tabulas bis quinque in carmina ductas*
*Inspicere humanos, vitamque examine Iuris*
*Emendare sacri jussit: Caput ordine primum*
*Cuncta trahit secum, & speculo tibi pingit aperto.*
*DILIGE me solum, solum Dominumque Deumque*
*Nempe tuum, procul informeis, puer, abjice massas*
*Squallentisve auri, aut concisæ in corpora gemmæ.*
*Vnde superstitio prognata ferocibus ausis*
*Abstulit à cœlo genteis, dein marmora jussit*
*Pro Domino colere, & sancto venerarier igni:*
*Hæc tu facta fuge, & simulacra excisa metallo,*
*Marmoraque scopulosque & caelo fictile lignum*
*Et luteas formas, & picta ænigmata Divûm*
*Vre procul; nullamque ausis dein fingere formam*
*Assimilem formis cœlestibus; ejus ut intra*
*Effigiem venerere Deos: Ego Nominis hujus*
*Solus honorabor cultu; nec enim ullius usquam*
*Participem dignabor opus convellere cultum.*
*Me penito ex animo, toto me pectore Patrem*
*Et Dominum venerare tuum, sta fortior in me*
*Cominus, & pura narratis mente periclis*
*Præstolare Deum. Scripsit Pater ordine primum*

*Admo-*

*Praedem animae caelestis opis, pede perfidus atro*
*Calcavi,& sannis nolensque volensque petivi.*
*Nullius alterius caussae compulsus Amore*
*Tempora quam nostrae data quod non nosse Saluti*
*Indocilis vestri, volui. Quod foedus amore*
*Rite tui coluisse jubet, genus, ipse secutus*
*Infelici odio fratrum, mea viscera, vae me,*
*Ah miserum, ah miserum, quoties, sine more, necavi!*
*Iam nec casta tibi servavi altaria, Christo*
*Corporis in nostri toto constructa cubili.*
*Sed temeravi animam, stuprante Libidinis oestro,*
*Et Stygiae Veneri mentem ad foeda orgia cessi.*
*Mille modis, ah, mille modis, ah millia quanta*
*Nec jam voce sequi, nec mente expromere possum,*
*Sanctificum infanti foedus mihi flumine diô*
*Instillatum a te & signatum interprete verbo*
*Contemeravi ultrò & monitorem ad sancta reliqui,*
*Ut necis auctori servirem, ut flebile pignus*
*Peccarem morti: Quae sunt, Pater optime, cuncta*
*Nota tibi, atque atrox immani inscripta recenset*
*Quottidie menti tabulae vafer hostis, at inter*
*Tot numero maculas numerum me perdere clamo*
*Quottidiè exaugens aliis peccata piaclis.*
*Praecipuè unum inter longum foedumque malumque*
*Crimen edit cunctas animum maculasque luesque.*
*Vixque ullam finit horam ignaram abscedere quantis*
*Peccarim Furiis cum non agnoscere possem*
*Quid facerem infelix effraenis lege juventae,*
*Confususque animum exemplis malitatis multae.*
*Praetereà turpis sub regna libidinis actus*
*Pravorum stimulis hominum; quibus improba cunis*
*Luxuria à primis usque haec in tempora ducta est.*

Ah

*Ah miserum, quam fœda retrò pudet ausa secutum*
*Posse mea non vertere ope, ut dare facta, IEHOVA,*
*Nunc infecta tibi. Quaquà versum acria volvo*
*Lumina, nemo meis quit opem Podalyrius actis*
*Suppeditare, herbis, aut dia carmine vocis.*
*Nil superest à fronte mihi nisi flebile lethum,*
*Nil jam terga premit, nisi denso examine pœnæ,*
*Læsaque præcipuè sibi mens tristisque graviusque*
*Imminet ex imo Iudex fervore Iuventæ.*
*Omnia quæ arcanis latuerunt Tartara seclis*
*Instrumenta necis mihi trux Rhamnusia laxat.*
*Et quid ego has inter tenebras, hæc nubila rerum*
*Sollicitâ possim castis dare mente Camœnis?*
*Et monstrare viris ducentem ad sidera callem*
*Ipse procul calcans dira vestigia Lethes?*
*Quin miseram atrato vitam decurrere luctu*
*Infelix me cogo puer? jacta orgia puris*
*Suscipiant manibus Vates melioribus usi*
*Ingenio auspiciis; me me in declive deorsum*
*Funus agit meritum, & flagrantia Tartara pandit.*
*Iustitiæ quæ strictus agon, quæ jura reposcunt*
*Dia polo, rigidoque inimicus postulat ore:*
*Quem læsi vecors; ah cur crudelia primum*
*Iussa hostis subii; cur non semacta reliqui?*
*Cur non sine ipso redii in primordia vitæ?*
*Ah miserum, ah miserum! nil ultra excernere fletus*
*Perpetui possunt: miserum miserabile carmen*
*Solvit ebur: cupit ire retro mens: læsa repugnat*
*Sponte meâ pietas, indignaque testis ab imo*
*Ausa canit veniâ; mihi nil nisi tristia quærit*
*Vt satis ardenti fiat nece Vindicis Iræ.*
*Ipse pio quondam miserans errantia vultu*

*Secla virûm ex alta strictum vibrat aëra noe*
*Tristiciæ æternæ testem, quæ me instet atroces*
*Commeritum pœnas, Christus Fraterq; Deusque;*
*Nec superest quo me effugiam, qua Iudicis urnam*
*Sorte latêre queam: jam jam ærumnabilis undæ*
*Alluit aura pedem, Styx quam rotat inscia retro*
*Aeternum rediisse: & jam fædissima turba*
*Spirituum infernorum infanda in vincla redactum*
*Abripit, atque uno adspectu spem præcipit omnem.*
*At miserum cum dira animum premat undique pestis,*
*Nobilis è nebula procul exigit ora serena*
*GRATIA, Iusticiæ cujus superabilis ante*
*Concidit aspectum stricto lanx fulgida ferro.*
*Hanc subitò ex alto miserator amabilis axe*
*Spiritus in nostrum pectus sanctissimus inflat:*
*Illicet in CHRISTI lavor immortale cruore*
*Concipiens animo Vitæ auguriumque Fidemque*
*Ille cui stricto dudum pœna effera ferro*
*Iusticiæ exegit non una debita lege.*
*Mitior arridet fidenti, & talia jactat.*
*Perdita ovis, tua te revocat custodia retro*
*Linque viam mortis; vitæ tibi janua prono*
*Poste patet: super ipse humeris te pastor amicis*
*Restituetque gregi, atque incendia viva manendi*
*Subiiciet menti; major tibi Gloria noxa*
*E tanta veniet; Pater ut gaudere reperto*
*Suavius auditur nato, quam si ille vagantem*
*Numquam amisisset; Major circum agmina fundit*
*Læticia Angelica ex uno peccante reducto*
*Ad vitam, centum quam semper amantibus illam.*
*Hæc ego cum cernam & numquam non cernere possim*
*Vt jam facta palam & visu testata fideli,*

*Ecce tibi tua, Pastor, ovis, redeoque, meique*
*Indicium reditus sanctissima carmina porto.*
*Quæ non nostra canit, mentem externata, voluptas,*
*Suavidicæ Musæ, sed spiritus actor Olympo*
*Ingerit in numeros; cui gloria quæritur ingens*
*E studio indocti, & peccantis ab ore sequendam*
*Gratia dia viam justis monstrare fatetur.*
*Ipse sequor ductricem almam, & jam terminus, altè*
*Quæsitus, propior puncta ultima monstrat; in illo*
*Dia canam sacræ primordia Legis, & inter*
*Dona tua exsultabo, Pater; nunc pronus adoro*
*Iusticiamque tuam, quæ me peccasse premendo*
*Admonuit, mortemque ostendit & orgia mortis,*
*Materiem quibus ipse dedi tua jura relinquens,*
*Nec minus excelso data quæ clementia cuitu*
*Desperare vetat, Pater ô supreme, mearum*
*Da me pæniteat macularum, ut pectora purgem*
*Et redeam verè & verè te lotus adorem.*
*Exemplum Fidei miseris, quibus ista profunda*
*Mente cano, interpresque tuus tua dicta redico.*
*Ah miseri, Vanum omne quod est sub Sole, putate*
*Linquite mortaleis curas, date pectora sanctis*
*Inter vos studiis: quam vivitis orbis in hujus*
*Arbitrio, non Vita, via est inamabilis Orco.*
*Spes bona vos Fidei certos jubet æthera purum*
*Mente sequi, & Christi testatis sanguine dictis,*
*Credere: non propria qui quærit gaudia vitæ*
*Quippe potens quodcunque lubet, quodcunque potest, qui*
*Omnia jure potest: sed vos ut turpia secli*
*Gaudia vitetis, quorum est mors perfida, finis,*
*Vt secum Vitæ melioris ad ardua ducti*
*Regna, caducarum vincatis vincula rerum,*

*Hinc sua Doctrinæ firmandæ vulnera quinque*
*Impendit: quid credis, homo, non velle parentem*
*Cælestem præstare tibi, cui filius Orbem*
*Humanum subiit, hominem induit, actus in atrox*
*Spontè suâ letum, & cruce victima sancta pependit.*
*Illius ad nutum Stygium procul agmina pœnis*
*Succedunt Lemurum, purgataque secula linquunt,*
*Vt quoque in hâc miserâ toto cum pectore vita*
*Sit servire Deo facile, & dare vota Saluti.*
*Quod si fœda tamen generis remanebit in alto*
*Condita corde lues, Frater sanctissimus astat*
*Idem ille Omnipotens, inductaque crimina delet*
*Gratiæ ad arbitrium, non exsuperabile nævis.*
*Hæc nullum venientem ad se scit spernere, nulli*
*Non venienti ultrò patet aula Salutis Olympo.*
*Hanc tibi nunc Erato monstrat mea, quisquis inaneis*
*Seponis curas, & sancta altaria castis*
*Accedis manibus: Tibi tempora Aquarius Heros*
*Flumina defundit liquido, ut pereuntia cernas*
*Omnia nullius precii censenda, ruinam*
*Tradita in æternam: nec enim semel unda profusa*
*Ad fontem rediit, sed cæco errore relicta*
*Tabuit; at felicis ubi subit in loca terræ*
*Fœcundat fructu jam credita semina sulcis.*
*Nec tamen huic precium est aliquod, qui flumine plantas*
*Irrigat affuso, sed qui pater addit ab alto*
*Incrementa polo soboli, mansuraque glebis*
*Expedit, & læto mox semina flore coronat.*
*Mox fructum benedicto operi pia Gratia donat,*
*Prolis ut æterno prolem succedere proli*
*Tempore conspiciat, lethataque floreat ex se.*
*Nunc ubi jam extremum clausuros carmine pisces*

Carmen,

*Carmen, adesse prope & vati jam adnare videmus,*
*Dicite jo grateis, & jo bis dicite Grateis*
*Sancta cohors Domino, & Psalteria dia secuti*
*Regis Iessiaci mecum hos ter dicite cantus.*
EGREDERE *ex adytis animi penetralibus, & te*
*Totam impende tibi, mens enthea: nobile plectrum*
*Attonitè in dias rapiat vatem impete laudes.*
*Omnipotens, tibi sacra cano, tibi concita ab imis*
*Sedibus egregium in carmen mens bullit, & almum*
*Nomen obit, recolens memori benefacta relatu.*
*Mens cane jo Dominum, nec inerti oblivia nube*
*Grandia Supremi possint merita ire Parentis*
*Deletum, æterno stet gratia carmine perpes.*
*Qui scelus infandum & vetitæ dispendia culpæ*
*Mille premit, diramque luem & dominantia centum*
*Secula morborum leni levat undique curâ.*
*Qui vitam è letho jam desperantis amicâ*
*Asseruit dextrâ, ut caput ærumnabile pridem*
*Egregiâ cingat Clementia dia coronâ.*
*Qui defessam animam satiat dapis ubere mensa*
*Atque aquilæ in morem viridam de fæce juventam*
*Eruit annorum, renovatque in prole senectam.*
*Quem penes arbitrium justæ, legesque modique*
*Iustitiæ, qui passum incestâ injuria lance*
*Vindicat, & diribit cunctis æquabile verum.*
*Qui populum Abramidem sua sancta altaria castis*
*Edocuit manibus colere, & dare jura Moysen*
*Scripta, quibus magni censetur curia Regis.*
*Qui clemens animi & populi miserator egentis*
*Longanimi strictam retinet moderamine lancem,*
*Egregius Pietatis & exorabilis auctor.*
*Qui non perpetuâ furit insatiabilis ira*

*Nec gentis commissa suæ pro criminis ausu*
*Aeternas rapit in Pœnas, nec condita servat.*
*Qui non pro maculis & multa labe suorum*
*Trisificum exegit merita in vitalia ferrum,*
*Sed placido trepidos advertitur ore precanteis.*
*Qui quanto immum orbem circumvolat axis in orbem*
*Circite, seposuit spacijs mala nostra remotis,*
*Et tibi firmavit sanctos, clementia, postes.*
*Qui quantum Eoo refugit ruber Hesperus ortu*
*Distantem à culpis Pœnam seclusit, & inter-*
*Mitem animi posuit Pietatem, & fœdera fixit.*
*Qui pater ut nati casum miseratur iniquum*
*Castigatque animo leni, & cavet inde futuro,*
*Lapsantum instaurat placido discrimina vultu.*
*Qui nostræ gnarus vitæ, miserabile corpus*
*Scit fugitivum herbæ florem adsimilare tumentis,*
*Pulveris aut tortum rapido glomum in aera vento.*
*Quippe rapax ubi turbo Noti transibit hiantem*
*In nebulis vitam, vitæ flos ibit in auram*
*Nec trepidum agnoscet locus incolam, inanis ab illo.*
*At Domini æterná stabilis Clementia mente*
*Durat ab æterno et unum inviolata per orbem.*
*Mitis ijs coluere pia qui mente Parentem.*
*Nec minus immotis stat Iusticia orbibus in se*
*Natorum natos mansura in perpetis ævi*
*Circuitus, sacra qui servarunt fœdera pactis.*
*Ipse poli supra sibi regna novemplicis orbes*
*Constituit Dominus, stabilitaque jussit in ævum*
*Omnibus in Regnis dominantia jura tueri.*
*Hunc mihi, jo, laudate alti prætoria cæli*
*Agmina, jo, Dominum juvenes laudate decori,*
*Aeternam cuncti virtutem, ut nobile carmen*

*Divinæ vocis totum portetur in orbem.*
*Omnis, Io, omnis, Io te Regia cœlite laudet*
*Militia accentu, tua qui mandata ministrant*
*Expediunda viris, mundum exaudita per omnem.*
*Omnia, Io, quæcunque immensa Potentia regnat*
*Omnia, Io, Dominum laudate; Io omnia sanctum*
*Auctorem laudate Opera Omnipotentis: In illis*
*Tu quoque nostra anima ex imis excita latebris*
*Concelebra Domini semper-regnantis honorem.*

FINIS AQUARI.

C. BARTHI

# ZODIACI VITÆ CHRISTIANÆ.

## LIBER XII.

### QUI ET PISCES.

*E, Pater Omnipotens, extremo carmine primū*
*Deveneror, flexoque tuum pede numen adoro:*
*Simplicibus numeris, procul ambitione placendi,*
*Relligionis opes cupidus recludere sanctæ.*
*Da, Pater, auspicium felix; supremaque longi*
*Linea agat cœpti pereuntem ad desita mundum*
*Sacra, Palæstinis sacrata penatibus olim:*
*Quorum adeò Europæ mysteria credidit auctor*
*Vltima, & ardenteis populos Pietatis amore*
*Duxit ad astra manu, procul à pellacibus umbris*
*Fictorum Geniorum, actus in numina mille,*

Facta

*Præmia demonstrans seros mansura Nepotes*
*Sanctorum meritis, quorum immortalia jura*
*Susciperent nati, patribus patrata severis,*
*Servarentque pari studio, & servanda futuræ*
*Legarent suboli, quæ mox exempla facessens,*
*Traderet æternæ numquam rumpenda catenæ.*
*Omnibus ut sibimet numeris Ecclesia constans*
*Legiferum traheret læta in mysteria tempus*
*Magnanimi Herois, cujus spe antiquus avorum*
*Ordo tulit Fidei pretium, nactusque Salutem est.*
*Has Pater in tabulas bis quinque in carmina ductas*
*Inspicere humanos, vitamque examine Iuris*
*Emendare sacri jussit: Caput ordine primum*
*Cuncta trahit secum, & speculo tibi pingit aperto.*
*DILIGE me solum, solum Dominumque Deumque*
*Nempe tuum, procul informeis, puer, abjice massas*
*Squallentisve auri, aut concisæ in corpora gemmæ.*
*Vnde superstitio prognata ferocibus ausis*
*Abstulit à cœlo genteis, dein marmora jussit*
*Pro Domino colere, & sancto venerarier igni:*
*Hæc tu facta fuge, & simulacra excisa metallo,*
*Marmoraque scopulosque & caelo fictile lignum*
*Et luteas formas, & picta ænigmata Divûm*
*Vre procul; nullamque ausis dein fingere formam*
*Assimilem formis cœlestibus; ejus ut intra*
*Effigiem venerere Deos: Ego Nominis hujus*
*Solus honorabor cultu; nec enim ullius usquam*
*Participem dignabor opus convellere cultum.*
*Me penito ex animo, toto me pectore Patrem*
*Et Dominum venerare tuum, sta fortior in me*
*Cominus, & pura narratis mente periclis*
*Præstolare Deum. Scripsit Pater ordine primum*

*Admo-*

*Attoniti vates oestro videre furenti.*
*In vetitis hæc cuncta putes. Nec, mobilis iræ,*
*In scelus usurpes Domini venerabile nomen,*
*Barbara inhumanis spargens convicia dictis.*
*Quippe Pater temerantem ingrato carmine sanctum*
*Omni ultor nomen cum majestate sequetur.*
*Ipse minas super ingenteis adjecit, & alto*
*Sancivit semper mansuram fulmine legem.*
*SEX Operi Omnipotens vitæ terræque colendis*
*Libertate dies placita mactavit, & usui*
*Indulsit miserorum hominum; quo fata labore*
*Atque alium ex alio ducentia secula morbum*
*Invigilent curis, sudorem industria vincat;*
*Incultasque arteis studio domet improba longo.*
*Pauperies, victumque inimica à matre reposcat.*
*Septima sed sanctis lux est devota colendis*
*Muneribus, ne quem facinus fecisse profanum*
*Hâc jubeat quavis pugnax Audacia causa.*
*Invigilent cuncti meditando, & dicta revolvant*
*Mente Dei: nulli castam scelerare dierum*
*Fas vitæ studijs, Sophiæve avertere cultu.*
*Hac coeant taciti demisso pectore, & in se*
*Quisque sacrum venerator opus, quo machina mundi,*
*Condita, quo prisci coram videre Tonantem*
*Indigetes, animoque æquarunt divite Olympum.*
*Et Pater extento vibrans miracula ferro*
*Messuit Aegypti Proceres, mala pestis in orbem*
*Dena redit, tamen obstipi Pharaonis inaneis*
*Frangere non potuit fastûs, cum milite donec*
*In ponto jacuit medio, tumidusque tumenteis*
*Hausit aquas: deinde electo quæ Legifer Herôi*
*Jussa dedit populo; deserta per avia quali*

*Limite*

*Limite quæsiti cesserunt mœnia regni,*
*Excisæ lituis urbeis, prostrataque latè*
*Cornicinum clangore solo claustra invia densis*
*Arjetibus; dein Hebræis data Regibus arma,*
*Fatidicûmque virûm secreto Oracula sensu.*
*Omnia quæ sacris constant inscripta papyris*
*Aeternorum operum monumenta, inperdita seclis,*
*Donec ad ætherei sobolem Genitoris, Olympo*
*Demissam terris descendit pagina verax.*
*Hic vero scrutari animis, componere prisca*
*Rite novis plenosque sacris expendere libros*
*Carminibus sit fas, & responsura vetustis*
*Mirari nova Fata Dijs: ut præscius olim*
*Spiritus ex humili stabulo in mysteria Legis*
*Duxerit arcanæ solvenda ænigmate claro*
*Vnigenam prolem Domini; matremque genusque*
*Pinxerit in tabula & dederit noscenda profetis.*
*Hæc adeo proprio sibi jure domestica poscit*
*Septima lux, devota sacris sine vindice dictis.*
*Nec sit Pœna levis, sed mors in crimina præsens.*
*His constat jussis lex tertia: QVARTA, parenteis*
*Quosque loco patrum veneratio conscia cultûs*
*Debitaque instituunt meritis florentibus olim*
*Officia; hos prona moderari mente volenteis*
*Aetatemque sacram, & cani mysteria crinis*
*Egregijs colere studijs jubet, ardua ponens*
*Præmia Lex Domini. Quali pietate parentem*
*Quisque colet, tali propria ipse à stirpe coletur.*
*At manus injustis ultrix super imminet, horrens*
*Præpetibus Pœnis, & flammæ ardore perennis.*
*Propria longævæ servabit munia vitæ*
*Qui sanctos digno patreis mactabit honore.*

*Pro rerum affluxu cunabula plena rependens*
*Sudorum officius, & se in genitoris honorans*
*Personâ vieti; miser, immiserabilis, exsul,*
*Turpis, egens, procul auxilio mortalis amici,*
*Et Domino invisus, solis errabit in oris*
*Qui probro infando patrios bacchatus in annos*
*Ridebit senium infelix; dabit ipse Nepotis*
*Personam in scelus & fœdis se perdet ab actis.*
*Quod si exempla placent largis saturantia donis*
*Natorum Pietatem, & justi præmia cultûs,*
*Messis ubique ingens sacris occurret in actis*
*Isacidum; longoque hærent præcepta sub ævo.*
*Nec minus adversas quo turbine fervidus ultor*
*Ensis agat cœlo Furias, cum perfida proles*
*Contemsit genitorem ausis immanibus exlex.*
*Progenies quâ sæva Chaam per secula servat*
*Infandum opprobrium, stirpi, quod perfidus auctor*
*Detecti impressit semotâ veste parentis.*
*Cum gravida à Domino contrà se Gratia plenam*
*Fuderit in fratreis, rapto qui tegmine victum*
*Obtexere mero seniorem, hinc ille nepotum*
*Floret honos servantque omnes rata præmia nati.*
*Scilicet ex uno gravium vis plurima sese*
*Subjicit exemplo atque in postera commoda sistit.*
*QVINTA sacris tabulis quam Legifer intulit Heros*
*A Domino Moyses Lex sanguinis imperat atram*
*Præstinxisse sitim, & clementi vivere voto.*
*Vt fraterna homines veniant in fœdera cuncti.*
*Nec locus aut odio, spatium aut superesse furori*
*Possit, ubi insanos ultro se raptat in enses*
*Ira ferox, strictisque animos mucronibus explet.*
*Insidijs sit nullus amor, procul undique cedant*

*Visque, furensque atro Livor per prospera tabo,*
*Cordis edax proprij: procul insatiata libido*
*Alterius damno sua quærere commoda cautum.*
*Sed placide humanis ducantur in otia rebus*
*Mitia, & inter se mortaleis mutua vivant.*
*Vt Pastoris, oves, quas vox levis alligat una*
*Et solvit cupidas, solo pendere paratas*
*Obsequio Domini stabulis seu suadeat illas*
*Adversa sub nube dies succedere totos,*
*Et servire Deo, vel gramina læta remissis*
*Custodis studijs fæcundo carpere morsu:*
*Grex sit ut unus ubique, una solentur amaros*
*Et dulceis Pietate greges; cui cura salutis*
*Maxima, cum placidi vivunt pacatius agni.*
*Nec tamen in sanctis nulla est provincia jussis,*
*Principis, electique in sceptra vicaria Regis.*
*Ille habet imperium summo à custode profectum*
*Vulnera vulneribus ulciscier; ire cruentas*
*Iustitiæ in culpas gladio, justisque nefandas*
*Cædibus in cædes divinas ducere Leges.*
*Qui natum ad superi spectandas luminis oras*
*Delerit vitâ fratrem atque exstinxerit; horrens*
*Nempe nefas duplici Virgo justissima ferro*
*Vindicet in Pœnam & patrata cæde merentem*
*Conficiat; Virgo; quam ferro & lance potentem*
*Regibus apposuit Pater; illam ultricia jussit*
*Tela tenere manu atque æquum exercere sub armis.*
*Vt metus instabilem vitij frænarit Amorem*
*Ancipitis monstrans chalybis venerabile signum.*
*Sed vaga paupertas & quæ tutoris egena*
*Opprimitur socio longum submota potenti*
*Simplicitas, cernens parilis moderamina libræ*

*Ad Leges uno jubeat procedere passu.*
*SEXTA sed in sacro distinguens codice legem*
*Nascitur in castos Praeceptio tradita mores.*
*Ipse, cui rerum strictis famulantur habenis*
*Imparibus data jura modis, castissimus auctor,*
*Omnia divino nasci & sua in ordia finem*
*Ducere more jubet, cujus purissima virtus*
*Ingenium est: Fixis servant sua tempora metis*
*Ortus & Occasus, quorum mortalibus in se*
*Credita pars citrà summum pote dedecus horum*
*Numquam alternari aut penitus vitiata perire.*
*Ergo dedit justis sua tempora maximus auctor*
*Seminibus, sociamque viro sociumque maritæ*
*Legibus adscripsit patriis, jussitque colendos.*
*Atque ubi justa semel sederunt fœdera firmis*
*Obiicibus, retrò petulantem exscendere saltum*
*In latus aut varos aliquo inclinare resultus*
*Noluit, & summâ cum majestate vetandi*
*Abnuit: His etenim descripta cubilia metis*
*Signavit memorans, sua cuique ut sancta maneret*
*Sponsa toro, certi quæ sanguine plena mariti*
*Acceptum ex atavis Florem transire Nepotum*
*In genus occulto mandaret tramite ductum.*
*Hinc Pater in primos homines conubia sanxit*
*Ipse suæ Legis firmator; ut inclutus Addam*
*Auspiciis Domini sua traderet omnia natis.*
*Quæ sine sacrilego non sunt temeranda furore.*
*At vos Tartareæ, mundi ludibria, larvæ.*
*Quæ procul ex hominum sancto grege fœda movetis*
*Corpora, ut in claustris, interque cubilia cæca*
*Bellerophonteæ vitam ducatis in œstro,*
*Arbitrio Regum procul, at non Vindicis almi*

*Omnituente oculo, quæ tandem in crimina vobis*
*Parcitis, obscura propter quæ nocte sepulti?*
*Eruet his latebris Domini Lex ardua sonteis*
*Lucifugos Lemureis, & Iudicis ante severi*
*Sistet agens vultus, ingrataque nubila rumpet.*
*Conjugij vos jura sacri rescinditis, ut ne*
*Una vagos species sub lege libidinis arctet.*
*Queis sanctum sacrumque nihil; nonne illa videtis*
*Iussa patris, pueri tenui quæ scripta tabellâ*
*Ediscunt, vobisque altis doctoribus inter*
*Egregios Fastus Doctrinæ, opponere norunt?*
*Ille hominum primos conjunctâ vivere vitâ*
*Uxoremque virumque jubet, quin ordine in illo*
*Condidit acturos ævum, quin ducere in ævum*
*Hacque dehinc nasci firmavit lege Nepoteis.*
*Ille docet scelus esse tori rata vincula solvi,*
*Ille ut homo hac hominem generaret denique normâ*
*Instituit mortale genus: Vos turpe libido*
*Opprobrium claustris succedere mandat opertis,*
*Atque illinc Domini sacratæ oppedere legi.*
*Vos digito exserto demonstrat Paulus; abite*
*Rasæ alio larvæ, nec nomine digna propago*
*Vero hominum; quorum nisi sancta cubilia prisci*
*Servavere patres, spurio vos semine natos*
*Clamatis, cæci fraudum: quod si illa parenteis*
*Regula continuit vestros, cur perfidus auctor*
*Degeneris studij, non is, vestigia patrum*
*Quâ monstrant sub lege viam? sta Gratia Christi*
*Nobiscum, pereant humanæ tormina normæ.*
*Septima divinis exscripta lege tabellis*
*Furta vetant mandata, dolosque cupidine dirâ*
*Per fas atque nefas flagranteis igne tenendi,*

*Incidunt, prorsusque sacra de plebe relegant.*
*Quisque suis manibus studio succinctus honesto*
*Consulat in medium sibimet; victumque profana*
*Fraude procul celeret; ut seri in tempora nati*
*Patris honos maneat, nec duris rebus egestas*
*Stirpem improvisam majorum labe sequatur.*
*Nulla sit in varijs fraus mercibus abdita, quarum*
*Disiunctas mundi jungunt commercia parteis,*
*Nec levis in numeros dolus aut discrimina cedat*
*Mensurarum, uno ducant candore per orbem*
*AEquali pretio certis se munera signis,*
*Qua Pater Omnipotens varijs indulsit habonda*
*Partibus, & studio quaerendi incendit inerteis*
*Mortalis curas generis; ne lubrica quodvis*
*Desidies nullo cernens sudore ventre*
*Pinguibus infandi vinclis se traderet otij,*
*Torperetque domi residens, dum desuper imbri*
*Copia opum adplueret, fluerent in pocula ripae*
*Sponte famem natis tellus satiaret aristis,*
*Egruerent Gazis elementa, nec acris Egestas*
*Exercere manum aut operi invigilare moneret.*
*Quarta bis in studium defixa est regula veri*
*Ne terat indocilem virosa Calumnia laedi*
*Alterius Famam suspenso dente, nec intrà*
*Nomen amicitiae fratris sectata decorem*
*Clam laceret, sannisve palam ringentibus urat.*
*Ne contrà innocuum falso rumore malignas*
*Quis serat in vulgus voces, foveatque premendo.*
*Qui spectata gerit vadimonia victor honoris*
*Pondere non gravet ingenti bona pauperis ausa.*
*Nec contrà jus fasque alta virtute nocendi*
*Supprimat incautum aut surgentem ad justa retundat.*

*Præcipuè ne quis violet sanctissima judex*
*Iura fori, testisve mala in mendacia prostet.*
*Iustitiæ ut numquam flectenda potentia diris*
*Inclinet studiis, & lanx examina perdat,*
*Cæca virum contrà magnâ se mole ferendum*
*Obsequiis. sua cuique ut vitæ Regula constet:*
*Alterius nihil in moliri damna, quod in te*
*Patratum nolis; quâ vertitur ambitus ingens*
*Legis. & arcani quicquid scivere profetæ.*
*Nona monet ne quis domui insidiator iniquus*
*Fraternæ immineat (fratrum data nomina cunctis)*
*Nec stirpem alterius durâ Impietate lacessat.*
*Exturbetve malis benè parta viribus aulâ,*
*Regula quæ humanos inter sanctissima mores*
*Conservat communem usum, & data mœnia paci*
*Publicitus; tuto privati circite muri*
*Ambit, ut inter se cum stent rata fœdera junctis*
*Stirpibus, excelso moderamine læna fruatur*
*Iustitia in cunctas, servetque immobilis ordo.*
*Sic etiam ne qua falsi se nominis hæres*
*Inferat in partem spe successoris iniquâ*
*Legitimi, turbetque notho bona germina ramo,*
*Vltima quæ decimum signata vocabula servant*
*Lege caput vetuere virum ne fraude vel astu*
*Quis domino avertat servum fundumve, domumve*
*Aut vernam aut puerum vel de grege corpora quævis*
*Armentove, aut quot fratris ditione tenentur*
*Cunque: sit in propriâ tutum statione cuique*
*Observare Deum atque optatâ in pace fruisci*
*Muneribus superis, ne forte excussus iniquis*
*Alterius Furiis & calliditate nocendi*
*Exsulet, & contrà sua vota & fata prematur.*

*Ipſa adeò ex omni turbetur corde voluntas*
*Iuſticiam contra & dia Sacraria Legis*
*Quem tenuiſſe aliquid: Quod ne ſine pondere quiſquam*
*Viva Dei ſolâ Ratione oracla reatur,*
*Fulmineas voces tonitruque ſimillima magno*
*Addidit Omnipotens dictis firmamina denis.*
*Fata ſecuturis ſtant vocibus obvia circum*
*Confirmantq; Dei nutus, & carmina ſignant*
*AEternis tabulis: Tellus Cœlumque peribunt*
*Nullus apex Domini de Legibus; omnia certis*
*Stant immota notis, & non completa reverti*
*Ignorant ſurſum; Numen ciet ille tremendum*
*Terrificos iterans monitus, Patrumq; profundam*
*In prolem ulturum longè commiſſa minatur*
*Ipſa Orbis Domina &, Majeſtas, maxima rerum*
*Dicta gubernatrix jurando jure per ipſam*
*Confirmat ſeſe, citrà quam ultraque poteſtas*
*Nulla manet; Eadem, imperijs qui ſponte verendis*
*Obſequium præſtat, medioque in tramite tutus*
*Incedit Legum, non hinc non inde vacillans,*
*Hunc memori æternum ſpe mactatura fatetur*
*Innumeris opibus, & perpetis Orbe ſalutis.*
*Quam non ulla mali vis contemnare latronis*
*Nec pote perpetuo vivendi avertere flore.*
*Hiſq; adeo completa decem mandata tenentur*
*In tabulis, quas Muſa rudi Pietate ſecuta*
*Exſcripſit numeris, ſero memoranda nepoti,*
*Gnara quod in multis, ſi non tamen omnibus, ipſa*
*Sæpe viâ monitrix rectâ diverterit, & ſe*
*Communi Errori, agnato mortalibus ægris,*
*Neſcierit ſemper voto extricare fideli.*
*Atque ideo quoque Tartareas meruiſſe luelas*

*Vltoremque irâ gladium fervente, fatetur.*
*Attamen è gremio chari genitoris apertis*
*Vulneribus contrà pœnas, Furiasque necemque*
*Immaneisque umbras Stygiâ sub nocte latrantum*
*Triplicibus linguis; restat pia norma salutis*
*IMMANVEL, quoi cuncta genu supera, infera, flectunt.*
*Terricolæque homines, & in aere corpora nantum*
*Sulfureique amneis Erebi, Harpyiæque sonantes*
*Terrificis alis, & triplicis umbra Chimeræ.*
*Hujus in amplexus optataque vulnera fonti*
*Omnibus irrepo culpis; mea, maxima quæ sunt,*
*Quæque fuere & quæ postinde futura trahuntur,*
*Sanguineis Christi purgare piacula guttis*
*Ipse jubet cui lex, cui sancti Regia cœli*
*Paret, & in cunctas genitor dedit esse potentem*
*Virtutes; quarum Regina potentior omni*
*GRATIA sola malo est, nil huic non sponte remissum*
*Exijt à pœnis, si quis cavet ante furenti*
*Consentire, dehinc precibus propellere Noxam,*
*His monitis Domini atque hac spe custodia felix*
*Munita est Fidei, his olim se Ecclesia telis*
*Tutata est, clypeumque omne hunc conservat in ævum.*
*ATQVE hæc prima juvat, prima hæc cognôsse necesse*
*Palanteis mundi in tenebris, quæ scilicet omnes*
*Poscat heri lex stricta, cuique ut noxia Pœnam*
*Commonstret meritam, Pœnæ terrore coacti*
*Confugiant, miseri ad præfixum in morte Tropæum*
*Iessiadis Rami, cujus victoria parta est*
*Sanguine de vitijs, & trux pallentibus hostis*
*Murmurat in specubus, Veteris quem Gloria pugnæ*
*Deserit, impositis pedibus quem Gratia calcat,*
*Frendentem triplici per colla armosque catena,*

Roden-

*Rodentemque ægrâ nodos cervice tumenteis.*
*Unde animi cecidere, & mors in morte necata est.*
*Hinc sequitur quâ firma fides ratione tenenda*
*Affigat Domino curas, Dominique feroces*
*Cognitione sacrâ & cultu contundere noxas*
*Sustineat: Mecum numeris tu dicta recense*
*Aurea, vix ullis ante exaudita Camœnis*
*Thessala quæ nullis Phœbas concepit in antris,*
*Conscia nec Magici movit cortina tumultus.*
*Non Tripodes lauru cincti, nec sessile signum,*
*Admotæ fauces specubus, nec querquerus horror.*
*Non levis in sonitu deprenderit Oscinis Augur.*
*Nec rimata cavis veratrix viscera fibris.*
*Extaque dispiciens & despicata relinquens.*
*Non qui plausum alis observans aëra vates*
*Deducit vario florenteis omine pinnas.*
*Non inspector aquæ sollers, non carmine Manes*
*Dardanio evolvens tumulis, non ignis aprici*
*Discipulus, quem flamma docet mortalia Fata.*
*Futilis aut servat fatuis Hetruria libris.*
*Non Numa, non docti descripsit Cæsaris annus*
*Non octingentis succinctus pectora libris*
*Varro sagax, quem viva procul sequiturq́, fugitq́,*
*Bibliotheca senem, tamen ille in funere condit*
*Mirandam Historiam, & veterum penetralia pandit*
*Pontificum, terram in medio colit ille sepulcro.*
*Non Magus Astricolens, non fati præscia Memphis*
*Aut tener errorum, sagoque in pulvere pollens*
*Mentis Arabs, radiique hæres Chaldæus aviti.*
*Non quæ Cumæis adytis immane resultans*
*Mugit anus, Solisque inimicum jactat Amorem.*
*Non Tomari Iovis excedens avis augure luco,*

*Non Actæa Boedromio quater auspice Eleusis.*
*Non quæcunque capax veterum Sapientia vatum*
*Involuit figmenta novans, ne Sancta profanis*
*Auribus in vulgus mysteria ferret Epopta.*
*Ipse, sed Omnipotens arcanis indita libris*
*Edocuit gentem propriam, atque in secula jussit*
*Tradere venturo numquam varianda nepoti.*
*Queis qui, mente piâ & sacro complexus amore,*
*Crediderit, non ulla trahens contagia rerum*
*Ducet inoffensos ad metæ candida currus.*
*Et vitâ, hanc vitam post, perpetuante fruetur.*
*Spe cujus per fœda atri me obstacula mundi*
*Ostentat numeris sanctorum, ante omnia numen*
*Sancta Fides, quæ me amplectens florentibus alis*
*Trans aciem Solis loca in ignea sistit amando.*
*In Domino rerum spes & firmissima solo,*
*Qui cum nil esset, solus fuit; Omnis in uno*
*Se Deus, æterna sine tempore Originis auspex,*
*Principium sine principio, citra ordia, & ultra,*
*IPSE Deus, Deus, insuperabilis impete sensûs.*
*In se cuncta Deus, sine tempore, Numen ab ævo,*
*Ante ævum Numen, Sanctum, Castumq; Piumq;*
*Ipsa immò pietas, cujus nec dicere laudes*
*Lingua queat, nec mente sequi Constantia sensûs.*
*Imperio cujus vocisque interprete nutu*
*Exstitit è nihilo quodcunque in luminis usu est.*
*Imo adeo quodcunque superstat luminis usum.*
*Ille Deus rerum genus à quo exordia vitæ*
*Ducit, & immensum formas derivat in orbem.*
*Sol verus, Lux vera, & Fons auctorque Salutis.*
*Numine cum late quodcunque est compleat uno,*
*Vi vegetans caussas, Naturæ rector opertæ*

*Vitiser*

*Vitiferi genitor motus, Rex cardinis alti,*
*Qui succedendo sibimet, nova secula priscis*
*Educit tumulis, reparatque exordia metis.*
*Ille unus Deus immensi cui Regia sedes*
*Quà locus & quà non locus est, extra omnia dictu.*
*Prona, vel arcano sensus fugientia censu,*
*Triplicibus sese dat adorandum atque colendum*
*Personis, ut qui Solus Deus unus in uno est,*
*Trinus in uno idem sit & unus in hoc quoq; trino.*
*Ut simul & sancto distinctas numine possit*
*Personas mens nostra sequi, nec fallere sese*
*Ipsa tamen, ratione parum subnixa fideli.*
*Exsulet hinc Ratio, Domini mandata sequendo.*
*Sola Fides Ratio est, sola est spes credere soli*
*Fallere qui nescit, qui Fons, Lux, Flosque Salutis*
*Salvifico stultas emendat carmine menteis.*
*Sta procul ambitio infelix, Sapientia qualem*
*Ingerit in dios humana ferociter actûs.*
*Numen adorandum Domini, qui trinus in Uno,*
*Se docuit miseros Patrum Regemque Deumque.*
*Prima Dei persona Pater, qui numine solo*
*Divinæque acie mentis cum condere mundum*
*Et voluit jussitque simul, super invia nec dum*
*Orta loca, ingenti concepit Regia rerum*
*Sese utero, gravidoque simul laxata tumore*
*Exstitit in lucem & jussu prognata IEHOVAE est.*
*Omnipotens Ratio verbo reclusa potenti*
*Effudit seclis venturam in tempora molem.*
*Nil ubi ab æterno fuerat, nil desiit esse,*
*Omnia se subitò plenos misêre per orbes*
*Et sensûs subiere vias, nisi quod neque sensus*
*Tunc fuit, & qui nunc terram, mare, sidera, Avernos*

Concutit

*Concutit incumbens sceptris atque orgia versans*
*Regifici Imperii, sensu Pater optimus almo*
*Cuncta creatarum laudavit nomina rerum,*
*Mirandum specierum orbem, bona & Optima cuncta.*
*Iamque adeo omnia de nihilo prognata vigebant,*
*In numerumq; & placidâ Dominum Pietate colebant.*
*Expertes morum Vitæ, sensûsque magistri.*
*Cum Pater Omnipotens læto gavisus Amore*
*Condidit effigiem humanam, quam matris ab osse*
*Telluris ductam divino afflavit ab ore,*
*Immortalem indens ignem; mens dia potenti*
*Vt se infusa tenens Genio, rectricis habenis*
*Septiforem vultum Ratione incenderet altâ.*
*Membraque vitali frigentia duceret æstu.*
*Illicet æterno spiramine prosata corpus*
*Mens iniit, quod humo ductum, suæ originis ex re*
*Humanum dixêre homines. Homo nomen ab ortu*
*Sumsit, ut indociles si quando superbia moreis*
*Flecteret in fastum, contrà meminisse juberent*
*Terrestris massæ prognata vocabula terrâ.*
*At Pater ut mundum nullo adjutore creavit*
*Ni se unus trino, trinusque uno; inde parentis*
*Erga hominem nomen sumsit sibi. At ante coævum*
*Aeterno sine fine sibi produxerat idem*
*Per quem cuncta dedit, natum, Pater. Ille supremo*
*Par genitori, ipsum est Verbum, quo condita cuncta*
*E nihilo eduxit, jussitque existere vita.*
*Hoc, ubi mortaleis culpæ sociabilis error*
*Primigenas pepulit horto, se in secula misit*
*Humanum adsciscens corpus, quo maxima virtus*
*Iusticia à meritis averteret horrida pœnis*
*Supplicia, & miseros projecto inferret Olympo,*

*Hoc rata prædictis ubi quondam tempora metis*
*Constiterunt, cassæ descendens viscera sacro*
*Virginis implevit Flatu, & se immisit amatæ,*
*Ut sua sub stricto servans Deus ordine jura*
*Hinc prodiret* HOMO, *& pareret moriendo salutem.*
*Ergo ubi salvifici misit mysteria Verbi*
*In mundum ipse canens factoque oracla facessens,*
*Hostia procubuit super immaculabilis aras*
*Exstinxitque necem moriendo, & Tartara clausit.*
*Egregiasq; animas Procerum, & jam millia multa*
*Annorum obscura tabentia corpora nocte*
*Eruit, & sibi juncta suis secum intulit astris.*
*Hæc est Sancta Fides quæ nos Oracula doctrix*
*Mente bona amplecti monet, & dare versibus aures*
*Salvificis: quibus in Domino gaudere sine omni*
*Labe licet, purisque animas præpascere dictis.*
*Tertia, sed Domini persona unius in uno*
*Ista Deo est: Sanctus qui* SPIRITUS *auctor amatæ*
*Ipse venit Fidei, ducitque in pectora prædem,*
*Spem Vitæ æternæ, sine qua nec Gratia quicquam*
*Nec nos ulla juvat meritis confisa Voluntas,*
*Virtutisve altæ studium: Quod credimus, & quod*
*Scimus, ab hac alio fruituros lumine Vitæ*
*Spiritus hoc agit infusus per carmina menti*
*Sanctorum Procerum, quorum modo Maximus Actor*
*Cœtum alit in terris, & sidera monstrat ab alto.*
*Hic Deus est, unus Deus est, persona sub uno*
*Trina Deo est, Pater & Natus, & Spiritus auctor*
*Germanæ Fidei: Fidei capita ista saluti*
*De se scripta dedit Deus, ut compendia monstrant.*
*Singula quæ excutere & longis diducere dictis*
*Immensi sit cura operis, quam nulla viri vis*

Non

*Non omneis capiant sensus, non ulla notatrix*
*Carminis egregii supero mens consona cælo.*
*Hunc Dominum rerum Patrem, vitæque potentem*
*Immensum altorem mundi, cui Regia parent*
*Fræna, quibus magno ductas de fomite vitas*
*Sufficit ipse Orbi, & Fati moderatur habenis,*
*Solus homo in dubiis coram pote dicere rebus*
*Patronum, gratoque orans devincere questu.*
*Ut stabilem servans immotis legibus Orbem*
*Non minus in precibus deponat amabile pondus*
*Gratificis, patrii queis sollicitatur Amoris*
*Promissum misero officium, quem fata parentum*
*Subiiciunt noxis, & avito carcere servant.*
*At cæci rerum & vix semina parva supernæ*
*Effigiæ amissæ retinentes luce, Parentem*
*Sponte sua dignis nequeunt accedere dictis:*
*Surda fugit Ratio, nec se capit, omnia versans*
*In numerum ad magnæ sacrum pietatis honorem,*
*Ergo animi mitis princeps, quo reddita terras*
*Inspice restituit cælo mera Gratia, dicta*
*Inclusit numeris, & uti narranda, coegit*
*Egregium exscribens carmen, quo Gratia cælo*
*Depluat, & fessas hominum levet obvia curas.*
*Omne amplexa tenens, quo vitæ mobilis usus*
*Indiget, in trepido palans peregrinus agone*
*Instabilis secli, cujus vix portio parva*
*Cuique venit, nec certa, brevi licet aspera gyro.*
*Ergo hæc dicta sequi juvet, & vim edicere mente.*
*Alme parens cui cæliferi domus ætheris ingens*
*Ambitus, inclinantque orbem, pedibusq; tremendis*
*Subiiciunt tellurem axes, dominumque fatentur.*
*Sit sacrum sanctumque tuum inviolabile Nomen*

*Terricolis.*

*Terricolis, nostraque etiam prece sanctius in nos.*
*Cælestis Regni veniat celer ordo tuorum*
*Aßiduis votis hâc rerum in nocte petitus.*
*Vtque superna tuis stant jußibus apta Deorum*
*Concilia, atque ultro Domini mandata facessunt,*
*Sic tua & in terris fiat veneranda voluntas,*
*Hæc, quoniam extorrem non est sine degere vitam*
*Præsidiis, quæ quotidie gravis exigit usus*
*Det sustentandis quæ sunt rata munera membris,*
*Vestitumque cibumque & citra, pocula, luxum.*
*Cumque adeo hoc ævi quod vivitur omne parentum*
*Participet noxæ, & sponte in devia currat,*
*Peccatis ignosce, Pater. Velut omnia læsi*
*Nos quoque lædentum donemus crimina turbæ.*
*Nec minus hostilis cum circum hinc inde tumultus*
*Bacchetur vitiis, & desperatio culpas*
*Immensis acuat stimulis, subsidere sævi*
*Insidiis ne nos Pater ô, patiare latronis.*
*Nec tua tentatos hinc atque hinc dextera rectrix*
*Destituat, sed ubi meritis nil possumus omnes,*
*Gratia nos tua defendat, tua Gratia vincat*
*Omne malum, nosque evulsos de peste caduci*
*Temporis, exsortes pœnarum in patria ducat*
*Regna, tua est etenim tua summa potentia rerum*
*Solius, & victrix ævi, numerique modique*
*Gloria, cui lætis ferit aera vocibus Amen.*
*His ubi te precibus sanctoque ardore canendi*
*Munieris, nil sæva queat, nil callida poßit*
*Hostilis belli contuso fulmine Enyo.*
*Attamen ut certi constent signacula sensus*
*Vnde tuis poßis spebus pro te ipse potiri.*
*Signaque per manifesta tuum deprendere pignus*

Accepta

*Acceptæ Fidei; duo Sacramenta notabis*
*Vsibus hoc indulta tuis sub fine fruendi*
*Indubitata sacris adsit quo regula cæptis.*
*Sic ubi cælesteis repetit jam Christus honoreis*
*Bis senos misit famulos, hisque addidit ingens*
*Imperium: procul orbem omnem comprendite nostris*
*Legibus, & cunctis date gentibus hæc mea jussa:*
*Crediderit quicunque & sacra ablutus in unda*
*Testem illibatum fidei susceperit, hujus*
*Spes sit certa mei, vitæ sit certa b-atæ.*
*Hanc ubi quis sacri Baptismatis addidit undæ*
*Stet secum intrepidus, non fallunt dicta Salutis.*
*Nec tamen infatus obliquo ruat ille recursu.*
*Semper in hoc maneat; quod si quem vicerit error,*
*Patronum agnoscat Christum; stat maximus auctor*
*Iustitiæ ad solium, & juxta sua vulnera monstrans*
*Vibrantem pœnas gladium compescit, ut ultro*
*Gratia succedat meritis, & crimina vincat.*
*Pars postrema operis sit sancti Corporis Vsus*
*Sacramentum ingens; procul ô procul ite profani.*
*Heic ut certa sacri stet commemoratio gesti*
*Reddita quo terris Vita est; cum Sanguine corpus*
*Instituit Christus pateris librare saluti.*
*Spiritus atque anima & penetralia cordis ab usu*
*Sacramenti almum pignus pietatis adepta*
*Vescuntur jam spe meritis Domini: Ille supernis*
*Infundit vitam radiis, dum vina dapesque*
*Gustantur castis, animam spes pascit IESV*
*Abba canens vero verum: sic sanguine pota*
*Immaculati agni sursum se Ecclesia tollit*
*Corpore sic, sic passa sui sponsi Deique*
*Confirmat sibimet Fidei immaculabile pignus.*

*Omnia quæ tenebris dudum & squallore sepulta*
*Humanorum operum, quæ transuerso impete dios*
*Spurcarant libros fætentis labe veneni,*
*Eruit Omnipotens extremo tempore rerum,*
*Salvificam instaurans doctrinam; atq; ora suorum.*
*Cælesti inspirans Doctorum ardore canendi.*
*Vt contra furias, contra vim Orciq; virûmq;*
*Stet, rudis Eloquii quondam, nunc ordine miro*
*Evolvens secreta Dei fulmenq; coruscans*
*AEthereæ Sophiæ generosus homuncio; contrà*
*Expediunt hastas alij & Mavortia tela,*
*Insidiasq; dolo, Furiasq; ardore cruentas,*
*Nec quicquam stupidi, verus quia Iuppiter hâc stat.*
*A Domino factum est oculis mirabile nostris,*
*Vt velut ingenti sub pondere palma renitens*
*Invictam opponat virtutem, & robora lasset*
*Simplicitas confisa Deo; quo nobile Lucis*
*Dogma magis premitur, magis hoc de nocte levatur*
*Ingruat incasum, flammis feralibus horrens,*
*Et Proceres in bella trahat crudelis Enyo,*
*Adsint arma Giganteis vibranda lacertis,*
*Et procul omnem adigat in claßica turbidus Austrum*
*Et Zephyrum, motâque acres de nocte Triones*
*Tabificus dominandi ardor, nec magnus, Eoi*
*Limitis à prisco quicquam Latro Marte relinquat.*
*Insidiæq; Dolique & vis crudelis, & astus*
*Impietasque atrox & fracti injuria juris*
*Iurandi, stolidus Furor. & Vesania pernox.*
*Atque immane Nefas, rapidæque Astutia Technæ,*
*Incertusque sui & vento variabilis Error,*
*Impuroque furens inflata Superbia fastu,*
*Sanguineamque rotans aciem, immoderabilis Ira,*

*Invidiæq; faces, & conscia mortis Egestas,*
*Diuitiæq; inopes, & avaræ fulmina Curæ*
*Et dubius Vitæ Timor, atque Audacia præceps,*
*Nec non blanda Venus, nec non Semeleïus Evan.*
*Gradivusq; sonans lethum, & Bellona sub vmbris*
*Terrificos agitans in Panica fulgura currus,*
*Desidiesq; vorax, Lucrique immensa Cupido,*
*Asperaque infaustæ prædatrix Gloria mentis,*
*Famosusque Decor, Sophiæque binominis Anguis,*
*Nobilitas animi fax præpetis, Ardua virtus*
*Sceptraque Fortunæque, & tristis Opinio vulgi,*
*Adsint vna omnes Furiis, nec presidus Orci*
*Ianitor, erectis ponat tria guttura cristis.*
*Sutilibusque senex trabibus vada lurida Porthmeus*
*Quottidie repetens immania murmura solvat.*
*Non tamen Egregiæ Fidei Constantia quicquam*
*Mutabit numeris, sed spe sublata Deorum*
*Plausibus in mediis iam jam sua gaudia cernet.*
*Sanguine purpurei quæ sunt data mitibus Agni.*
*Huius in effigie præsens agit omnia Christo*
*Vt peregre veniens & jam patria arva revisens*
*Longinquâ de nocte diem gauisus amicum.*
*Cernere pertæsusq; onerisq; viæq;. Viator,*
*Debilis, atque utinam generosæ semina mentis*
*Decolor infandi premeret minus impetus olli*
*Corporis; vt puro posset pede Regia cœli*
*Dicta sequi, servoque artus compescere fræno.*
*Quicquid id est sese ipse ultro noxasq; fatetur*
*Submittitque patri; Purgata piacula Christi*
*Sanguine, divinis animum rumoribus implent,*
*Vt contemnat humum, sitiat decora alta quietis*
*In quâ Virtutum florens genus omne piarum*

*Ostendit*

*Ostendit callem juveni, qui ducit ad astra,*
*Lentus ut ille sequi, paulumque tenacior ægri*
*Corporis, adspirat tamen immortalibus ausis.*
*Velle satis, quacunque negat prodire Potestas,*
*It Favor in meritum, studio successus in ipso est.*
*Denique qui summum non est potis augmen apisci*
*In mediis gradibus sat conspicietur honeste.*
*Conatum quóque magna juvant; qui tangere nescit*
*Hoc studeat tamen ut cupidus videatur Honorum.*
*Quicquid in experto rerum negat Ordo Poetæ,*
*Supplebit felix in publica commoda fervor.*
*Ipse sibi teneros annos, levis orsa juventæ*
*Subtrahit à dulci vitiorum lætus amore,*
*Ut Domino placeat, ne si cum fæce senectus,*
*Venerit obscœna sanctis se immergere dictis,*
*Orba sacri cultus in retrimenta feratur.*
*Flos placet egregiæ Virtuti, in flore dierum*
*Laudari Pater ipse cupit; dat pondus, & almo*
*Lumine Posteritas juveni pia plaudit honoro.*
*Intereà dum blanda trahit Charis, orgia laxat,*
*Versibus, & seno bis clausa volumine dicta*
*Dat pueris capienda puer: Trieteris apricà*
*Septima luce redit, dum nondum veste genarum*
*Fuscatur color ingenuus, his otia lusit*
*Et docuit sanctos animis inolescere mores.*
*Tu, Pater Omnipotens, vestræ Pietatis egentem*
*Sordidulam multâ pullarum adspergine rerum*
*Duc ut pastor Ovem, quæ per deserta vagando*
*Ægra imposq; animi tristeis balatibus auras*
*Implet, & amissas gemit ærumnabile caulas.*
*Si pars magna hominum gressu seducta profana*
*Sponte perit, mortemque inhiat vitamque refutat,*

*Unus ego tamen è paucis, quem devia duxit*
*Semita in infandum errorem, possim avia rerum*
*Lustra sagaci animo contemnere, ditia possim*
*Spernere, paupertas animæ quem donet amœnæ,*
*Exsortem planctus, exsortem ante omnia risûs,*
*Et Luxus, stupidique exosum culmen honoris.*
*Sed sit honesta mihi vitæ via; donec eundo*
*Consumam memet; reddam tenerum æthera cælo,*
*Et luteum terræ corpus: da cernere patrem*
*Eminus & patriam, teque, ô, præponere rebus*
*Non res, alme tibi; ne spina, immobilis olim,*
*Obducat segetem, & male pasta ærugo trucidet*
*Commissum terræ pravâ ratione metallum.*
*Et mihi quodcunque est vestro dein munere vitæ*
*Accessurum isti, ceu per deserta reportem*
*Custoditum arctè, & vitiorum à labe reductum.*
*Quod si sera mei quicquam est lectura lepôris*
*Posteritas; obtestor, & hoc à limine finis*
*Vociferor, quodcunque sacris non æqua Poetis*
*In latus extorsit Ratio, vel debilis usus*
*Aut incauta animi & nimium sibi grata juventus,*
*Emendent studio sollerti; errasse fatemur*
*Quicquid, id est, dabit alterius cata temporis ætas:*
*Ingenio hic non est, saltim pietate probemur.*
*At ne Turbo rapax annoxum, & versilis hora*
*Deleat è numeris, numeris data tempora nostris.*
*Hæc ego, cum Christi Nataleis scriberet Orbis*
*Mille duodenos, sexcentosque, alite versu*
*Divini cecini mysteria dogmatis, Auctor*
*Spe majora sequens, sed & hic quoque magna professus.*
*TU QUI me arcanâ vinces ambagine Vitæ*
*I, Liber, & Domino longam dicare superstes*

In

*In juvenes venisse Deos; tibi Tempora nostris*
*Quæ Lachesis demet numeris, accedere fati*
*Ordo velit: brevi ego, lacrymosum, inamabile, tempus*
*Aerumnis curisque grave & mordacibus ægri*
*Pectoris illecebris, optato fine relinquam.*
*Quâque viâ exivere patres, exibo, nepotum*
*Gressibus exemplum, meque altâ in nocte recondam.*
*Tu mea ne depasta ferox oblivio mergat*
*Nomina, me castis vigil insere Vatibus; & qui*
*In cineris parvi resolutus pulvere degam,*
*Aligeris Famæ duc per loca læta quadrigis*
*Fortunatorum nemorum, quæ præmia servant*
*DIs geniti Heroes, &, ab his sacra turba, Poetæ.*
*Nec tu sole tamen; quàm vis mihi pallida Livor*
*Ora procul semper studijs obvertat amaris.*
*Atque etiam dulci lita nectare pabula mentis*
*Invideant, minimè quos invidisse decebat,*
*Vt consanguineo vix digni interprete Divûm*
*Quorum me Ratio & sancti suadela Decori*
*Nomina non ullo patiuntur spargere nævo,*
*Ipse tamen constans animo Pietate professâ*
*Innumeris alijs impendi tempora Libris*
*Quæ mihi Majestas concessit maxima Christi.*
*Sic levibus pietas calamis, Epigrammata, nugas*
*Ter denis potui jam pridem absolvere cartis.*
*In queis multa tamen Victoris imagine ficta*
*Quæ olim nunc esse mea, aut sub nomine nostro*
*Ire palam; sed mox arguta incude refingam.*
*Lascivis pia dicta, nigra loligine duris*
*Substituens Sophiæ flores ex mollibus hortis.*
*Dein pede quod claudo Stoæ mysteria servat*
*Non imitabile opus, sed & hoc quoque pluribus inter*

*Hispanas nostro deponat limine Laurus?*
*Quaeque alia argutis condens dictamina cartis*
*Reddere palanteis volui Natalibus aptis*
*Scriptoreis, dubio scribens certissima signo.*
*Venantumque saleis, & pastoralia tetris*
*Barbariae è stabulis procedere carmina jussi.*
*Centum alios titulos generosa Modestia privis*
*Conscia sola sibi meritis, non nomine, quam re*
*Promta prius, facili dabit ore exire sub auras.*
*Posteritas modo sancta fave; novus ales Olympo*
*Surgit & in magnos properat dare nomina Divos*
*Intereà quamvis multos mihi perfidus hostis*
*Insultet Furijs, & nil non tentet agendo*
*Vt miserum hunc hominem, temeratum in flore Iuventa*
*Praecipitet secum Stygias Acherontis in umbras*
*Evulsum studijs, evulsum Speque Fideque,*
*Quas sequitur, circum vario frendente tumultu*
*Securus tamen, & Christo se tradidit uni,*
*Sto tamen, & jam bis medijs è faucibus Orci*
*Mirifico Domini auxilio mihi me ipse superstes*
*Admiror Christi vivum de morte Tropaeum.*
*Te precor. O IESV., pereuntis ô unica, Christe,*
*Spes Animae, quem de tenebris ipsaque reductum*
*Pernicie; vix credendo tibi more sacrasti,*
*Sic pelagus porro saevorum immane malorum*
*Transgrediar, tua sacra Colens, tuaque orgia Cantans,*
*Vt tua me aeternâ florentem pace Corona*
*Inter prisca virûm tibi secula consecret olim.*
*Non ego jam aut contrà torrentem brachia tendam*
*Aut socios hinc inde sua statione cadentes*
*Necquicquam monitos, Risusve Iocosve morabor*
*Insipidi, nimia Sapiendi mole crepanteis,*

*Quam-*

*Quamlibet & charos via flebilis auferat ultra*
*Iussa patrum fratres, & inani circite vinctos*
*Ambitio rerum & cæcus trahat ardor habendi.*
*Tu sis sola meis possessio & unica Musis*
*Has post te amplexusque & in his tua maxima facta*
*Mirificiosque in me celebrans, pote quatenus, actus.*
*Perpetuos inter vateis grave nomen habebo.*

*FINIS.*

# AMICE LECTOR,

Absens auctor vetuit in manuscriptis suis quicquam mutari; proinde nos eius voluntatem secuti nonnunquam scripturam assecuti non sumus: itaq; hæc minuta & alioquin corrigi obvia notanda tamen huc fuere. Vbi tamen non dissimulandum in his pleraq; esse quæ Auctor ipse mutavit, supplevit, induxit, quanquam serius impresso iam carmine. Adeo non omnia perviderit, ne ipse, quidem qui

Centum luminibus cinctum caput Argus habebat.

*IN præfat. l negligas pag. 3. l. momine. p. 6. l. tellus. 14. infortunatissima. 16. l. plaudit eunti. 17. l. infanda sobo. 18. quem luxus. l. quam. 24. alii. l. illi. 30. l. Mantoa. ibid. stirpes. l. stirps. 32. sectis. l. seclis. 34. lege frondibus. 35. v. l. latis ext. ibid. virens. l. vivens. ib. non illuc. 36 l. tempora fato. ib. cernite quas. 37. l. harmoniâ. 42 l. Iud. vrna. 48. l. ad quos & nostros. 52. l. mors perfida. 54 fastis. l. factis. 58. l. oppandit. ib. Pietate nitebant. p, 60. l. ultim. l. cornuaq; p. 65. arces. l acres. 68. l, vlt. in montem. 69. nisu. l. visu. 73. l. nutantia. 75. l Siphilis. 76. l. Iactantq;. 77. l. nomine nudo. ibidem. lege. & fera fulmina. 77. solus. lege. salus. 82. lege. noceat. ibid factu. lege. fastu. 85. lege. novit. Germ. 89. lege. asp testis. 94 l flamine. 100. l sereno 101. l. polita est. 105. l. locant. 108. l. è Chalybe. 112. sensus. l. census. ibid l. compendia. 121. laus stricta. l. lanx. 122. l. maculam. 127. l. meritis dist. 135. l. exulat. 137. l. mente pari. 138 l. mananti in. 141. l. leve crimen. 144. l. divin s scr it. 146. l. indigetum. 148. l. & sua. 151. l. Vigil. 152. l. nubila. ib. influxibusq; dele τὸ q;. 156. l. divinos. 157. vers. ultimo subde, At si quem Lachesis celeri ruptura doceret. 159 l. ocellos 160. l. flumine. ibid l. misit amarum. 161. l. sanguineis ibid. l. & spebus. ib. guttura rictu. 164. l. Nec statui. ibid. Olympo. Subde Docta nihil miseris luciscere paupere cultu. 165. lin. 4 sequantur ibid. leg. Virg. egregia. 173. lin. 2 l. emendare. ib. nati l. nata. 174. pater. l. patet. 176. v ult l. florere. 177. l. & amplecti. 179. ulmis. l. ulnis. 188. v. 1. l. rugosamq;. 191. l. Arcanas soph. 192. l. fixaq;. 196 l. ducens. 197. celeri 198. l. agendo. 205. propinat. 207. fin. avorum. 211. diedemada 115. l. manes. 216. lege. incline. 224. l. vacuis. 227. l. ducitur. 23 calcere. l. calcare. 238. l. candida. 241. l. illita. 244. l solo. 249. ne glor. l. ut. 257. semideo 261. Macetum. 266. profanos. ibid. l. aliis vict. 274. l. scena. 277. libret. 279. l gestit. 280. l. formam.*